BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
3 B
17

Google



Digitized by Google

Google

Digitized by Google

AN SIT VTILITAS IN SCELERE

Vel

DE INFELICITATE PRINCIPIS

Macchiauelliani,contra Macchiauellum & politicos eius Sectatores.

Autore

D. THOMA FITZHERBERTO nobili Anglo Sacerdote,

Ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Principem

D. FRANCISCVM DE CASTRO,

Comitem de Caſtro, Ducem Tauriſanum &c.

Huius opuſculi ſumma, in duplici, qui epiſtolæ attexitur, capitum, & paradoxorum Macchiauellianorum Indice comprehenditur.

ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. MDCX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur, R. P. M. Sac. Apoſt.

Cęſ. Fidelis Viceſg.

Ex commiſsione Reuerendiſs. P. M. S. P. A. Fr. Ludouici Yſtellæ librum cui titulus eſt An ſit vtilitas in Scelere *vel* de infelicitate Principis Macchiauelliani *editum a* D. Thomâ Fitzherberto *accuratè perlegimus, nec in eo aliquid deprehẽdimus, quod Sanctæ Catholicæ fidei, aut bonis moribus repugnet, imò opus eſſe cenſemus impreſſione digniſſimum, ac Principibus ad ſubditorum optimum regimen vtiliſsimum. In quorum fidem ſubſcripſimus. Die 9. Decembris. 1609.*

Ego Domnus Raphael Raſtellius Clericus regularis.

Ego Domnus Caietanus Coſt[illegible]a idem affirmo.

Imprimatur,

Fr. Thomas Pallauicinus Bononien. Magiſter, & Reuerendiſs. P. F. Ludouici Yſtella ſacri Pal. Apoſt. Magiſtri ſocius, Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo
Principi

D. FRANCISCO
DE CASTRO,

COMITI DE CASTRO,
Duci Tauriſano,
Potentiſſimo Hiſpaniarum Regi a conſilijs, & apud Sanctiſs. D. N.
PAVLVM V. Pont. Max.
Oratori,

EQVITI ORDINIS DIVI Iacobi, & Commendatario de Hornachuelos.

THOMAS FITZHERBERTVS
perpetuam exoptat felicitatem.

CV*M omnis horum iniquiſſimorum temporum infelicitas* (*D*ux Illuſtriſſime, & Excellentiſſime) *a duobus præſertim hominum generibus, tanquam a duplici fonte fluat, hæreticis nempe & M*acchiauelliſtis*(qui nunc* Poli-

Digitized by Google

tici vulgo vocantur) quorum illi, in religione ſola, hi tàm in politica, quàm in religione, hallucinantur, & errant: Cùmque plurimi viri doctiſſimi, in eorum erroribus confutandis præclarè admodum elaborauerint, ita tamen, vt illorum alij, de ſola religione, alij de politica tantummodo, nulli (ſaltem quos ego legerim) de vtraque contra vtroſque ſcripſerint, non abs re fore exiſtimaui, eam in me prouinciam ſuſcipere, atque id præcipuè eniti, vt vna, eademque opera vtroſq. Eccleſiæ hoſtes, quaſi vno ictu, confoderem.

Quid impulit autoré ad ſcribendum contra Macchiauellum.

Itaque quamuis nec eam in me ingenij, ac doctrinæ facultatem, nec eum rerum vſum agnoſcerem, vt de hijs rebus ſatis exquiſitè pro earum dignitate, me tractare poſſe arbitrarer, libuit tamen experiri quid in eo genere poſſem, vt ſi minùs aliorum expectationi, meoq. deſiderio ſatisfacerem, ſaltem doctiores, ad ſtudium de eodem

argumen-

argumento ſcribendi excitarem, & vt ait Cicero de quodam agreſti hiſtorico, reliquos admonerem vt ſcriberent accuratius.

Quid plura? rem ipſam aggreſſus (impetrata priùs ab Illuſtriſſimis Sanctæ Inquiſitionis Cardinalibus legendi Macchiauelli facultate, vt ex eorum diplomate, quod penès me eſt, ſatis liquet) plurima de religione & politica latinè exaraui, & cum iam multorum dierum, vel potius menſium, vt ita dicam, iter progreſſus eſſem, venit mihi in mentem patriæ meæ, quis illic eſſet rerum ſtatus, quæ conditio, illamq. meum omne ſtudium laborem, & operam non poſtulare modò, verum etiam ſibi ſuo quodam iure vendicare, atque idcirco, ſi ea quæ latinè ſcribere inſtitueram, patrio ſermone litteris mandarem, me patriæ meæ (cui me debeo) magis profuturum.

Facultas legendi Macchiauelli autori conceſſa.

Hæc cogitatio properantem me in

medio curſu primùm retardauit, & deinde ab incæpto etiam itinere reuocauit, vt eò reuerſus vnde eram exorſus, cum maiore patriæ meę commodo procederem; Quare, quæ inchoaueram latinè, ea anglicè reddidi, auxi, dilataui, atq. opus de Religione, *&* Politica, *iam aliquot abhinc annis typis excudendum curaui; in quo humani ingenij imbecillitatem, & diuinę gratiæ, veræq. religionis ad remp. ſtabiliendam, ac conſeruandam, neceſſitatem; ſatis, vt opinor, abundè docui,* Macchiauelli, *&* politicorum *fundamenta labefactaui,* Atheorum, *contra diuinam prouidentiam, argumenta confutaui, nonnulla præcepta, tùm ad* Politicam *tùm ad* Ethicam *ſpectantia tradidi, nouatorum huius temporis hæreſes obiter quandoque perſtrinxi, diuinam denique prouidentiam in Regnis, rebuſq. publicis tam conſeruandis, quam euertendis, plurimis exemplis, & rationibus confirma-*

Quæ ſcripſit autor contra Macchiauellum & politicos

firmaui;alteram eiuſdem operis partem, quæ iam ſub prælo eſt, breui (fauente Deo) editurus; in qua, verum reip. finem, & felicitatem in ſola Religione Catholica *conſtituo, & non modò* Paganiſmum, Mahometiſmum, *&* Iudaiſmum, *verum etiam pleraq.* Lutheranorum, *ac* Caluiniſtarum *dogmata, tàm a vera politicæ ratione, quàm a chriſtianæ Religionis ſacræque ſcripturæ veritate alieniſſima eſſe, luculenter oſtendo.*

Dum autem ea, quæ nunc Anglicè peruulgantur, latinè ſcriberem, incidi fortaſſis in quæſtionem quandam, partim Politicam, *partim* Ethicam, *nimirum,* An ſit vtilitas in tyrannide, vel quouis alio ſcelere, *quam quidem quæſtionem, cum ſtudioſius, pauloq. fuſius perſequerer, opuſculum hoc, quaſi aliud agens, confeci; quod tamen tanquam intempeſtiuum fœtum ſupprimendum, terraque, vt Crocodili oua, obruendum cenſui, donec amici,* **Huius Opuſculi ſcribẽdi & dedicandi occaſio:**

tum quibus illud forte nuper communicaui, haud indignum luce iudicauerunt; quorum iudicio fretus, ſtatui, Illuſtriſſimę Princeps, *hoc qualicumque munuſculo, meam erga te obſeruantiam, & amorem teſtificari, non quòd tam exile & puſillum donum te dignum exiſtimem, ſed quòd ea te eſſe humanitate ſciam, vt ne minimum quidem grati animi mei, vel officium, vel teſtimonium aſpernari velis.*

Quod enim ad tuam claritatem, & amplitudinem ſpectat, eam talem, tantamque eſſe, non ignoro, vt mea tenuitas illam, ne oratione quidem complecti, nedum muneris alicuius dignitate exæquare poſſit. Si enim vel generis tui ſplendorem, vel nominis celebritatem conſideremus, nihil tibi ad ſummum gloriæ decus deeſſe facilè videbimus. Hoc autem quàm vere dixerim, luce clarius efficerem, ſi coràm laudari tua ferre poſſet modeſtia, aliquid tamen di-

cendum

cendum eſt, vt alijs ſatisfaciam, ſed parciùs æquo, ne tibi moleſtus ſim. Si autem aliquis, longiorem me forTaſſis exiſtimauerit, quàm epiſtolæ nuncupatoriæ breuitas, & anguſtia ferat, is intelligat velim, mihi quidem iare optimo videri, in ÿs rebus dicendis, quæ modo & termino carent (quales ſunt tuæ, Ornatiſs. Princeps, *tui q. generis meritiſſimæ laudes) certum orationis modum, & terminum præfiniri nec poſſe, nec debere.*

prolixioris epiſtolæ ratio redditur.

Attamen dicam de te, quàm potero paucis, ſi pauca dixero priùs de genere tuo, quo nihil clarius, nihil illuſtrius eſſe poteſt; quandoquidem ab ea es familia ortus, quæ non ſolum antiquiſſimis florentiſſimiſq. Hiſpaniæ *Regibus prognata eſt, ſed etiam quam plurimos ex ſe reges, Monarchaſq. potentiſſimos felici propagine effudit. Nam cum præſtantiſſimus ille Princeps* Ferdinandus *Sereniſſimi* Vere mūdi *Regis Legionẽſis filius, ampliſ-*

Comitis de Caſtro, paternum genus ex antiquiſſimis Hiſpaniæ regibus

ſimis a patre ditatus patrimonijs in Galæcia, *(præſertim in* Monforte de Lemos *) inclytæ familiæ tuæ fundamenta ieciſſet, ea ſtatim fuit maiorum tuorum, apud cæteros* Hiſpaniæ *Heroas autoritas, ea dignitas, & gloria, vt omnes vndique non modò regij ſanguinis principes, ſed & ipſi Reges, eorum affinitatem, ac neceſsitudinem expeterent; quod re ipſa compertum eſt.*

Nam aliquot pòſt annis, Garcias Legionis *Rex,* Nunij Ferdinandi *Comitis de* Lemos *filiam vxorem duxit; & poſtea etiam* Petrus Alfonſi *vndecimi* Caſtellæ *Regis nepos,* Iſabellam Ferdinandi Ruizij *Comitis de* Lemos *filiam, & heredem in matrimonio habuit, atque in tuam familiam cooptatus, eam Caſtellanorum Regum cognatione, & cõſanguinitate decorauit. Et deficiente, iterum, ſubſequentibus ſeculis, Comitum de* Lemos *maſcula prole,* Dionifius *Ducis*

Brigan-

Brigantini filius, Ioannis *primi* Luſitaniȩ *Regis abnepos*, *Comitiſſæ* Beatricis *coniugio*, & Comitis *de* Lemos *titulo cohoneſtatus eſt. Hic autem regius, vt ita dicam, ſurculus, in tua nobiliſsima ſtirpe inſitus, tàm felicibus creuit auſpicijs, vt deinceps, Comitibus de* Lemos *virilis ſoboles minimè defuerit; imò dicam quod maius eſt, in te nempe*, (Princeps ornatiſſime) *tuaq. præclariſsima familia, virilem Regum Luſitanorum ſtirpem, eamq. legitimam, ad te vſq. tuoſq. præſtantiſsimos fratres, continua principum ſerie deductam, huius coniugij beneficio, & fructu, ſartam tectam conſeruari. Et addam aliud, quod ſilentio præterire nefas ducerem, antiquiſsimum etiam* Anglorum & Gallorum *Regum ſanguinem (quem a* Ioanne *Lancaſtrēſi Duce*, Luſitaniȩ *Reges hauſerant) hac neceſsitudine in tuam familiam coaluiſſe. Ecquid igitur tuo genere nobilius? Ecquid clarius? cùm*

Ex Regibus Luſitaniȩ.

Ex Regibus Angliæ & Galliæ.

a peren-

a perenni ipſius honoris, & nobilitatis fonte (a perpetua, inquam, tot tantorumq. regum ſerie) emanauerit?

Quid ergo mirũ, ſi familia tua, quæ tot regum feliciſſima filia eſt, plurimorum etiam Regum, & Imperatorũ fæcundiſsima mater fuerit? Hoc vel ex illo conſtabit connubio (vt cætera taceam) quod Agneti, Petri Ferdinandi *Comitis de* Lemos *filiæ, cum* Petro Luſitaniç *Rege interceſsit; quorum filia* Beatrix, Sancio *Comiti* Albuquerqui *nupta,* Eleonoram, *diuitis nomine celebrem (* rica hembra *vulgò nuncupatam) procreauit, quæ* Ferdinando *illi, cognomine* Iuſti *celebratiſsimo,* Ioannis Caſtellç *Regis filio,* (Aragoniç *poſtea Regi) collocata feraciſsimam Principum, Regum, & Imperatorum progeniem peperit. Nam ex eius liberis, & poſteris propſeminati ſunt, non ſolum cęteri* Aragoniç, *& alij nonnulli* Neapolis, Siciliç, Nauarrç, *&* Luſitaniç, *verum etiam*

Familia Comitis plurimorum Imperatorum, & Regum, mater, & qui nam illi fuerint.

De huius Ferdinandi iuſtitia & integritate vide inſigne exéplum. ca. 9. nu. 10. & 11.

etiam quamplurimi Caſtellę *Reges, atque adeò potentiſsimus ille* Hiſpaniarum *Monarcha, qui hodie longè lateq. dominatur, necnon inuictiſsimi Cæſares, & Imperatores* Maximilianus *primus*, Carolus *quintus*, Ferdinandus, Maximilianus *ſecundus, & qui nunc imperij clauum tenet*, Rodulphus, *cum autem clariſsima, fæcundiſsimaq. horum omnium Imperatorum, & Regum ſoboles, iam per vniuerſa* Europę *regna, mutuis coniugijs propagata ſit, dubitari non poteſt, quin vix vllus ſit, (vel ne vix quidem) in chriſtiano orbe Rex, aut quiuis alius ſupremæ poteſtatis princeps, qui a tua inclyta ſtirpe non ſit exortus.*

Comes omnibus ferè Regibus, & principibus Chriſtianis ſanguine coniunctus.

Hæc de genere tuo paterno breuiter tetigi; Quid autem de materno neceſſe erit dicere? cùm conſtet Comitiſſam de Lemos *matrem tuam, fæminam ſpectatiſsimam, eiuſque fratrem* Ducem Lermenſem, *ſumma nobilitate*

Maternũ Comitis genus, ex Hiſpanię etiam Regibus.

prin-

principem, (quem honoris cauſa nomino (antiquorum etiam Caſtellę *&* Legionis *Regum ſatu editos eſſe, atq. idcirco, quæ ſuperiùs de auita paternæ ſtirpis tuæ dignitate dixerim, ea omnia, materna etiam familiæ iure deberi; ex quo liquet, maximam tibi honoris & dignitatis acceſſionem cùm matrem, tùm auunculum attuliſſe; præſertim cùm ea ſit vtriuſque virtus, ea prudentia, ea, cum potentiſſimo Rege catholico, gratia, ea deniq; apud omnes exiſtimatio, & autoritas, vt neſcio, an de maiorum tuorum aliquo magis gloriari vel poſſis, vel debeas. Cùm autem illorum meritis nulla mea par eſſe poſſit oratio, ea conſultò prætereo,* Ciceroniani, *de deorum, heroumq. laudibus moniti, memor, nimirum, quia de illis ſatis multa dici non poſſunt, pauca cum reuerentia eſſe dicenda.*

Præclariſſimi priu cipes Dux Lermenſis Comitis auunculus, & Comitiſſa de Lemos eiuſdem mater.

Itaque his tu (Princeps ornatiſſime!) *maioribus, & parentibus natus,*

ac tot

at tot, tantiſq. regibus ſanguine coniunctus, tantùm abeſt, vt ab eis degeneres, eorumue gloriam, vel leuiſſima dedecoris labecula commacules, vt tuis præclaris virtutibus illorum laudes plurimùm ornes, & illuſtres; Cuius rei certiſſimum indicium eſt, quòd ab ineunte ætate, publicis, grauiſſimiſq. potentiſsimi Regis tui negotijs, munijſq. præclariſsimis fueris occupatus, & diſtrictus, perfunctis interim duabus ampliſsimis legationibus, vna quidem, temporibus turbulentiſsimis, periculoſiſsimiſq. apud venetos *obitā, (qua, inſigne prudentiæ tuæ ſpecimen dediſti,) altera verò, qua nunc* Romę, *apud* Sanctiſs. *D. N.* Paulum *V.* *ſumma cum laude fungeris; nec mirum; cùm eas tibi ingenij & iudicij vires, ea ornamenta ipſa natura conceſſerit, vt prudentiam, quam cæteri homines vix longo rerum vſu aſſequi ſolent, tu, cum ipſo materno, vt ita dicam, lacte ſuxiſſe & hauſiſſe videaris,*

Legatio Comitis apud venetos, & qua nunc fungitur Romæ.

dearis, quandoquidem, in teneris propè annis, ad ſummos honores, & populorum regimen, non caſu, aut fortuna euectus, ſed prudentiſſimo Regis tui conſilio delectus es.

Comes Regni Neapolitani prorex, cum vix ex Ephæbis excelſerat.

Vix enim ex ephæbis exceſſeras, cum Comiti de Lemos *patri tuo, Principi ornatiſſimo, immatura morte præcepto, in Regni Neapolitani adminiſtratione ſucceſſiſti, vbi regiam dignitatem, maieſtatemque, non dicam propè acceſſiſti, ſed attigiſti, guſtaſti, participaſti; cùm ad ipſa regni gubernacula ſederis, ſupremam vitæ, ac necis poteſtatem habueris, præſidijs, & claſsibus, terra, mariq. imperaueris, procerum, principumq. aſsiduo comitatu & obſequio, nec non ſatellitum vigilantia ſtipatus, & munitus, cæteriſq. honoribus regijs adeò cumulatus, vt hoc ſolùm a Rege diſcrepaueris, quòd pro Rege regnaueris; pro illo nimirum Rege, cui tu, qua es erga eum obſeruantia, parere, & obtem-*

obtemperare malle, quam regnare.

Nec immerito; cùm ipſe ſit princeps omnium potentiſſimus, fidei catholicæ propugnator acerrimus, pietate, & munificentia præclariſſimus; cuius ampliſſimi imperij fines, ad Antipodas *propagati, regionibus cœli, & ſolis curſu terminantur; cuius immenſa potentia pro Chriſti Eccleſia, contra omnes illius hoſtes aſsiduè propugnat; cuius ſumma pietas, eſt commune miſerorum perfugium, bonorumq. omnium præſidium; cuius inexhauſta liberalitas, non ſolùm ſuos populos, qui ſunt penè infiniti, ſed etiam plures fouet, ſuſtentat, ornat alienigenas (in quibus etiam ipſe ſum) quàm plurimi principes habeant ſubditos; pro hoc, inquam Rege* (Heros Ampliſſime) *regnaſti, tanta cum autoritate, & grauitate, tanta æquitate, & integritate, tanta induſtria, & felicitate, tanto totius Regni commodo, tanta denique ſubditorum beneuo-*

Potentiſſimi Regis Hiſpaniarum Encomium.

Regnum Neapolitanum a Comite præclariſſime adminiſtratum.

lentia, & amore, vt Neapolitanis *ſempiternam regiminis tui memoriam, ſummumq. tui deſiderium reliqueris.*

præclaræ Comitis virtutis.

Quis igitur dubitare poterit, quin ſis omnibus illis virtutibus excultus, quæ ad tam præclara munera gerenda, & in ſummis viris requiri ſolent, egregia ſcilicet pietate, eximia prudentia, ſingulari temperantia, ſumma humanitate, maxima deniq. communis boni cura, & amore? Sed cum has virtutes, quæ te plurimùm nobilitãt, & ornant, habeas cum plurimis alijs principibus communes, addam, (cum tua, quam ſupplex peto venia) alias, quibus pleroſque tui loci, & ordinis principes ſuperas, & excellis; litteras nimirum plurimas, nec eas quidem vulgares, ſed exquiſitas, ac ſi in illis omnem ætatem egiſſes, vel ab ipſis muſis fuiſſes enutritus; quò ſit, vt non modò doctorum hominum, bonarumq. artium ſis ſingularis Mæ-

cenas.

cenas, & patronus, verùmetiam, quod tibi tempus a negotijs liberum, vacuumque tribuitur, illud totum in lectione, ſtudio, & meditatione ponas, & non minùs præclarè ſis in otio, quam in negotio occupatus, nec vnquam minùs ſolus, quam cum ſolus.

Et quamuis hæc omnia ſint maxima, & ſumma laude digna, ea tamen ego non tanti eſtimo, quanti id, quòd tu, cùm talis ac tantus ſis, te tamen tam parui eſtimes, eaque ſis moderatione, & modeſtia, vt cæteris omnibus plurimùm tribuas, & tibi ipſi parum ſaluberrimum ſapientis conſilium ſecutus, Ne innitaris prudentię tuę. *Et hoc vnicum addo (quod mihi omnium maximum, & præſtantiſſimum videtur) te optimè ſcire, a quo hæc omnia acceperis, & quò ſint referenda; quapropter, ea omnia, quæ tibi Deus munificè elargitus eſt dona, omnemque tuam*

curam, operam, ſtudium, & cogitationem, non ad tua commoda, ſed ad dei gloriam, & regis tui, reiquepub. vtilitatem conferre ſoles, nullo laboris tædio, ab officio deterritus, & proinde, nominis, ſine dubio, immortalitate, & æternis in cælo præmijs compenſandus.

Plura dicerem, niſi me tuæ modeſtiæ recordatio cohiberet, & vt hæc dicerem, mihi (etſi non inuito, verenti tamen ne te offenderem) extorſit ipſa veritas, tua dignitas, lectoris expectatio, & ſumma mea erga te obſeruantia, quam cùm & tibi ipſi, & cæteris omnibus teſtatiſſimam eſſe cupiam, hoc opuſculum tibi offerre & dicare decreui, in quo, quædam contra Macchiauellum *&* Politicos *diſputaui, quod tibi haud ingratum fore ſpero, cùm optimè ſciam, te à toto iſto hominum genere, & ab execranda* Macchiauelli *diſciplina longiſſimè abhorrere; quod, non ſolùm*

ex innato tibi animi candore, morum probitate, & vita laudatiſſimè acta, ſed etiam ex prudentiſſima tua æquiſſimaq. Regni Neapolitani *adminiſtratione ſatis eſt exploratum.*

Cùm autem maxima tyrannidis, quam docet Macchiauellus *illecebra, præcipuumque totius doctrinæ eius fundamentum ſit vtilitas, vel ſaltem vtilitatis ſpecies, (qua incautos lectores allicit, & in fraudem impellit,) omnem hanc meam cum eo diſputationem de tyrannidis, ſceleriſque vtilitate inſtitui; Si enim eius præcepta principibus non modo inutilia, ſed etiam peſtifera, pernicioſa, & monſtroſa, (id eſt, tàm a natura, quàm a ratione aliena) eſſe oſtendero, concidat omnis eius de tyrannide, & ſcelere doctrina, neceſſe eſt. Quid verò hac in re præſtiterim, & qua via, rationeque vſus fuerim, non erit operæ precium hic dicere, cum partim ex duplici, qui hic ſubſequitur (capitum*

Cur autor cum Macchiauello de vtilitate diſputat.

libri,& Paradoxorum Macchiauel-lianorum *) indice,& partim ex proœmio, quod ſatis breue eſt, meum omne inſtitutum, & totius operis ſumma facilè dignoſci poſſit. Valeas precor,* Dux inclyte, *viuaſque diu fæliciſſimus, & Deo atque hominibus chariſſimus.*

INDEX CAPITVM.

PRoœmium, quo *Macchiauellus* ſummæ impudentiæ & impietatis arguitur, & autoris propoſitum declaratur. pag. 1

Nihil vtile quod naturę repugnet; ergo nec ſcelus. cap. 1. pag. 5.

Scelus, non minus principi quam reip. pernicioſum: Item principem plus debere reip. quam ſibi lege naturę. cap. 2. 10

Qualem principem requirit natura; & quędam de principis poteſtate, & officio. cap. 3. 27

Plura de Principis poteſtate, de ſimilitudine principis, & Dei, de potentia à virtute disiuncta. cap. 4. 47

Ex pręcedentibus concluditur aduerſus *Macchiauellum*, eius principem eſſe à natura alieniſſimum, & non minus ſibi, quam reip. exitioſum. cap. 5. 59

Remedia quæ *Macchiauellus* principis ſui incommodis, periculiſq. adhibet, nulla eſſe; imò malum, periculumq. augere. cap. 6. 65

Reſponſio ad obiectionem de vtilitate ſceleris, qua *Macchiauelli*, & *Politicorum* ineptia, bonorum fortunę mobilitas, vanitaſq. & virtutis pręſtantia, ſuauitas, atq. vtilitas demonſtratur. cap.7. 98

Vtilitatem bonorum fortunę in bono eorum vſu conſiſtere. cap.8. 110

Nullam eſſe in tyrannide vtilitatem, propter ſummum periculum,&pœnam quę illi imminet, diuinam & humanam. cap.9. 119

Argumentis à natura ductis, exemplisq. conuincitur, Deum hominum ſcelera vindicare, & pręcipuè regum. cap.10. 128

Deum tot habere iuſtitię ſuę miniſtros,& ſceleris vltores, quot habet creaturas. cap.11. 140

Exempla diuinę vltionis in eos qui iniuſtè rerum potiti ſunt, vel tyrannicè imperarunt. cap.12. 154

Detegitur *Macchiauelli* malitia in ſcripturis ſacris de *Moyſe*, & *Dauide* ad ſuum propoſitum detorquendis, quę in illum retorquentur. Item *Moyſem*, & *Dauidem* eſſe præclariſſima regis optimi exemplaria.

cap. 13. 166

Obiectant *Politici* plurimos impunè tyrannidem occupaſſe. Diluitur obiectio. Docetur peccati paterni pœnam filios quandoque perſoluere, & quàm ſeuerè ſolet Deus homicidia vindicare. cap. 14. 187

Tyrannum, quamuis violentam mortem effugiat, non mori inultum. cap. 15. 205

Peroratio, qua docetur nequiſſimam *Macchiauelli* politicam nullo omnino niti fundamento. cap. 16. 214

IMPIA,

IMPIA, ET ABSVRDA *MACCHIAVELLI* ac *politicorum* paradoxa, ET FVNDAMENTA in hoc opuſculo euerſa.

Vtilitatem ab honeſtate ſecludi poſſe. Confutatum, cap. 1. per totum.

Remp. Principis gratia a natura inſtitutam eſſe, non principem gratia reipub. Confut. cap. 2. num. 3. 4. 5. & ſequent. item cap. 3. a num. 1. ad 17.

Princi-

Principem plus debere ſibi, quàm reip. Confut. cap. 2. a num. 3. ad 17.

Quod reip. pernicioſum ſit, id principi vtile eſſe poſſe. Confutat. ibidem a numero 3. ad 7.

Potentiam a virtute diſiunctam, vtilem, & firmam eſſe poſſe. Confut. cap. 4. a num. 2. ad 7.

Principem aut optimum, aut ſceleſtiſsimum eſſe debere. Confut. cap. 6. num. 6. 7. 8. & ſequent.

Tyrannum crudelitate, & ſcelere ſe conſeruare poſſe. Confut. ibidem & cap. 10. a num. 6. ad finem cap. item cap. 11. & 12. per totum.

Mortui non mordent. Confut. cap. 6. num. 9. & ſequent.

Oderint dum metuant. Confut. ibidem a num. 10. ad 19.

Diuide & impera. Confut. ibidem a num. 19. ad 28.

Tyrannum, ſi ſanus eſſe cœperit, ſaluum eſſe non poſſe. Confutat. ibidem a numero 28. ad 36.

Tyran-

Tyrannidem in ipſo regis iure fundatam eſſe, autoritate ſacræ ſcripturæ. Confut. cap. 4. a num. 9. ad 14.

InFelicem tyrannorum exitum non diuino iudicio, ſed caſui tribuendum eſſe. Confut. cap. 10. 11. & 12. per totum.

Moyſen & Dauidem multis cædibus ſua imperia firmaſſe. Confutan. *cap.* 13. *per totum.*

Quamplurimos tyrannidem impunè occupaſſe, Confut. cap. 15.

PROOEMIVM

MACCHIAVELLVS Summæ impudentiæ & impietatis arguitur

ATQVE AVCTORIS PROpoſitum declaratur.

1 CVM doctrinam *Macchiauelli*, in libro de Principe inſcripto, traditam attētius conſidero, mirari, ac deteſtari ſatis hominis impietatem non queo, cum ſub nomine principis truculentum & nefarium tyrannum informet, qui populum opprimat, leges conculcet, Remp. euertat, omniſq. diuini & humani Iuris repagula perfringat; Nam, quæ alij auctores ſcripſerunt de tyrānorum fraudibus, præſtigijs, perfidia, crudelitate, ſce-

leribus,quò illos omnibus exoſos red
derent,ea omnia ille in ſuum congeſ-
ſit Principem, quaſi in publicam ali-
quam cloacam, & ſentinam, non vt
reip·ſordes ex hauriat,& euacuet,ſed
vt Reſpub.omnes contaminet,huma-
numq. genus, ſi fieri poſſet, deleat
prorſus, & extinguat.

2 Quid enim aliud velle vide-
tur, cum Reip. principem (qui pater
patriæ, populi paſtor, legum tutor &
cuſtos, omni deniq. iuſtitia, virtute,
& pietate ornatus eſſe debet) ad om-
nem iniuſtitiam, impietatem, crude-
litatem, Tyrannidem inſtituat, libro
in lucem edito, vbi Imperij ſcelere
adipiſcendi, conſeruandiq. viam &
rationem docet, idq. inauditis, &
ſtupendis paradoxis, ſtatuens inter
alia, principem, aut optimum aut
ſceleſtiſſimum eſſe debere, eumq. in
virtutis vel ſceleris mediocritate nul
lam ſperare poſſe ſecuritatẽ. In quo,
neſcio an eius mirer magis impuden-

tiam, an inſaniam.

3 Quid enim impudẽtius quam ſummi ſceleris magiſtrum ſe palàm profiteri, cum nemo fuerit vnquam tam perficta fronte, qui ſceleris nomen nõ erubuerit, & vt fuerit perditiſſimus, vir tamen bonus non voluerit haberi? Quid inſanius, quam principi proponere vtilitatem in ſcelere quo nihil humano generi, nedum Principi pernicioſius eſſepoteſt? quod cum hic contra *Macchiauellum* & politicos eius ſectatores mihi docendum eſſe ſtatuerim, eam certaminis rationem cum illis inibo, vt illorum de ſceleris vtilitate doctrinam, ad philoſophiæ, & ipſius naturæ regulam examinem, a qua ſi deffiexiſſe deprehendatur, ſequetur, illam monſtroſam eſſe, & cum autoribus ſuis merito explodendam.

4 Inqua támen dimicatione, non ſolum philoſophiæ & naturæ armis illos aggrediar, verũ etiam ex ſcrip-

turis ſacris, tanquam ex ſacro quodam armamentario, Chriſtianę veritatis tela depromam, tum vt Chriſtiano lectori ſatisfaciam, tum vt *Macchiauellum* ſuo iugulem gladio, quandoquidem ille etiam ipſius ſcripturæ auctoritate pro ſcelere pugnat, quam ſi admiſerit, in ipſo certaminis proludio cadat neceſſe eſt, ſin autē reiecerit, id conſtabit, illum ſcripturis ſacris, non tam ad ſuam confirmandam doctrinam, quam ad lectorem ſuum illudendum, abuti; ſiue autem hoc, ſiue illud, illius patefiet cęcitas, malitia, nequitia; Denique, cum liber eius innumeris ſcateat mendacijs, & impiorum dogmatum portentis, quę plurimi ijdemq. grauiſſimi auctores, alij alia detexerunt, & confutarunt, ego de ea ſolum modo, quam inſcelere eſſe ſomniat, vtilitate, & de tyrannorum commodis diſputabo.

NIHIL

NIHIL VTILE QVOD naturæ repugnet, ergo nec ſcelus.

CAP. I.

1 QVI ſcelus principi arbitratur aliquã-do vtile eſſe poſſe is vtilitatem ſe~, tam a natura~, quã ab honeſtate, ſeiungere fateatur neceſſe eſt, cùm hç duç adeo inter ſe vnitç ſemper, & connexç ſint, vt ſeparari nullò modo poſſint; nihil enim naturç conſentaneum eſſe poteſt, quod non idem honeſtum ſit, nec honeſtum aliquid quod cum natura pugnet; quo circa *Cicero* expoſiturus quid ſit honeſte viuere, illud nihil eſſe aliud ait, niſi *naturæ conuenienter viuere*, & proinde teſtatur *Socratem* eos merito *exe-* *Cicero de fin. lib. 4.* *Idem de offic. lib. 3*

crari ſolere, qui primùm vtile & hone-ſtum natura cohærentia opinione di-ſtraxerunt; *qua*, inquit, *nulla maior pernicies humano generi potuit afferri.*

2 Cum igitur *Macchiauellus* vtilitatem, quam in ſcelere ponit, ab honeſtate ſecludat, illum etiam a natura vtilitatẽ ſecludere manifeſtum eſt, quo, nihil abſurdius, nihil magis ridiculum excogitari poteſt, cùm cõſtet, omnem hominis vtilitatem naturę lege adeò cõtineri, vt nihil quod illa repudiet, vtile eſſe poſſit, Nam cum natura hoc habeat antiquiſſimum, vt ea, quę procreauit, foueat, & conſeruet, certe, nihil quod illis vtile ſit, poterit aſpernari; quod negari non poteſt, niſi eam vel ignorantię arguamus vel malitiæ; ignorantię, ſi neſciat, quid ſuis proſit, malitię, ſi ſciat, illudq. eis inuideat; Vtrumlibet autem dixerit *Macchiauellus*, merito erit explodendus, cum non tam naturę, quam ipſi Deo maculam

culam inurat, Natura enim *nihil aliud eſt*, vt ait *Seneca*, *niſi Deus & diuina ratio toti mundo & partibus eius inſerta*. *Seneca de benef. lib. 4. cap. 7.*

3 Quam ob rem *Zeno* Stoicorum Princeps cenſebat legem naturalem, *vim eſſe diuinam, imperantem recta, prohibentemq. contraria*, & *Cicero*, naturæ legem appellat, *diuinam, & humanam, Iuris fontem, ius gẽtium, humanæ vitæ ducem, quam ſiquis ſequatur errare nullo pacto poterit*, à quibus non diſſentit Apoſtolus, cum dicit, *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt facere*. *Cicero de nat. deo. lib. 1. Idem de offic. lib. 3 Idem de leg. lib. 1. Rom. 2.*

4 Itaque cum natura, ſapientiſſima atque optima rerum omnium parens ſit, atq. eorum quæ genuerit, conſeruationi, & vtilitati ſummopere conſulat, nihil certe reijciet, quod proli ſuæ fructuoſum, & ſalutare eſſe poterit; Sed quid? an aliquid eſt a quo natura magis abhorreat, quam celus; cuius vis, in hoc præcipue cõſiſtit,

IMPIA, ET ABSVRDA
MACCHIAVELLI
ac *politicorum* paradoxa,
ET FVNDAMENTA
in hoc opuſculo euerſa.

VTilitatem ab honeſtate ſecludi poſſe. Confutatum, cap. 1. per totum.

Remp. Principis gratia a natura inſtitutam eſſe, non principem gratia reipub. Confut. cap. 2. num. 3. 4. 5. & ſequent. item cap. 3. a num. 1. ad 17.

Princi-

Digitized by Google

Macchiauelliana.

Principem plus debere ſibi, quàm reip. Confut. cap. 2. a num. 3. ad 17.

Quod reip. pernicioſum ſit, id principi vtile eſſe poſſe. Confutat. ibidem a numero 3. ad 7.

Potentiam a virtute diſiunctam, vtilem, & firmam eſſe poſſe. Confut. cap. 4. a num. 2. ad 7.

Principem aut optimum, aut ſceleſtiſsimum eſſe debere. Confut. cap. 6. num. 6. 7. 8. & ſequent.

Tyrannum crudelitate, & ſcelere ſe conſeruare poſſe. Confut. ibidem & cap. 10. a num. 6. ad finem cap. item cap. 11. & 12. per totum.

Mortui non mordent. Confut. cap. 6. num. 9. & ſequent.

Oderint dum metuant. Confut. ibidem a nnm. 10. ad 19.

Diuide & impera. Confut. ibidem a num. 19. ad 28.

Tyrannum, ſi ſanus eſſe cœperit, ſaluum eſſe non poſſe. Confutat. ibidem a numero 28. ad 36.

Tyran-

Tyrannidem in ipſo regis iure fundatam eſſe, autoritate ſacræ ſcripturæ. Confut. cap. 4. a num. 9. ad 14.

InFelicem tyrannorum exitum non diuino iudicio, ſed caſui tribuendum eſſe. Confut. cap. 10. 11. & 12. per totum.

Moyſen & Dauidem multis cædibus ſua imperia firmaſſe. Confutan. *cap.* 13. *per totum.*

Quamplurimos tyrannidem impunè occupaſſe, Confut. cap. 15.

PROOE-

PROOEMIVM

MACCHIAVELLVS Summæ impudentiæ & impietatis arguitur

ATQVE AVCTORIS PROpoſitum declaratur.

1 CVM doctrinam *Macchiauelli*, in libro de Principe inſcripto, traditam attẽtius conſidero, mirari, ac deteſtari ſatis hominis impietatem non queo, cum ſub nomine principis truculentum & nefarium tyrannum informet,qui populum opprimat, leges conculcet, Remp. euertat, omniſq.diuini & humani Iuris repagula perfringat; Nam, quæ alij auctores ſcripſerunt de tyrãnorum fraudibus, præſtigijs, perfidia, crudelitate, ſce-

leribus,quò illos omnibus exoſos red derent,ea omnia ille in ſuum congeſſit Principem, quaſi in publicam aliquam cloacam, & ſentinam, non vt reip·ſordes ex hauriat,& euacuet,ſed vt Reſpub.omnes contaminet,humanumq. genus, ſi fieri poſſet, deleat prorſus, & extinguat.

2 Quid enim aliud velle videtur, cum Reip. principem (qui pater patriæ, populi paſtor, legum tutor & cuſtos, omni deniq. iuſtitia, virtute, & pietate ornatus eſſe debet) ad omnem iniuſtitiam, impietatem, crudelitatem, Tyrannidem inſtituat, libro in lucem edito, vbi Imperij ſcelere adipiſcendi, conſeruandiq. viam & rationem docet, idq. inauditis, & ſtupendis paradoxis, ſtatuens inter alia, principem, aut optimum aut ſceleſtiſſimum eſſe debere, eumq. in virtutis vel ſceleris mediocritate nullam ſperare poſſe ſecuritatē. In quo, neſcio an eius mirer magis impuden-

tiam

tiam, an inſaniam.

3 Quid enim impudẽtius quam ſummi ſceleris magiſtrum ſe palàm profiteri, cum nemo fuerit vnquam tam perfiđa fronte, qui ſceleris nomen nõ erubuerit, & vt fuerit perditiſſimus, vir tamen bonus non voluerit haberi? Quid inſanius, quam principi proponere vtilitatem in ſcelere quo nihil humano generi, nedum Principi pernicioſius eſſepoteſt? quod cum hic contra *Macchiauellum* & politicos eius ſectatores mihi docendum eſſe ſtatuerim, eam certaminis rationem cum illis inibo, vt illorum de ſceleris vtilitate doctrinam, ad philoſophiæ, & ipſius naturæ regulam examinem, a qua ſi deſſlexiſſe deprehendatur, ſequetur, illam monſtroſam eſſe, & cum autoribus ſuis merito explodendam.

4 In qua támen dimicatione, non ſolum philoſophiæ & naturæ armis illos aggrediar, verũ etiam ex ſcrip-

turis ſacris, tanquam ex ſacro quodam armamentario, Chriſtianę veritatis tela depromam, tum vt Chriſtiano lectori ſatisfaciam, tum vt *Macchiauellum* ſuo iugulem gladio, quandoquidem ille etiam ipſius ſcripturæ auctoritate pro ſcelere pugnat, quam ſi admiſerit, in ipſo certaminis proludio cadat neceſſe eſt, ſin autē reiecerit, id conſtabit, illum ſcripturis ſacris, non tam ad ſuam confirmandam doctrinam, quam ad lectorem ſuum illudendum, abuti; ſiue autem hoc, ſiue illud, illius pateſiet cęcitas, malitia, nequitia; Denique, cum liber eius innumeris ſcateat mendacijs, & impiorum dogmatum portentis, quę plurimi ijdemq. grauiſſimi auctores, alij alia detexerunt, & confutarunt, ego de ea ſolum modo, quam inſcelere eſſe ſomniat, vtilitate, & de tyrannorum commodis diſputabo.

NIHIL

NIHIL VTILE QVOD naturæ repugnet, ergo nec ſcelus.

CAP. I.

1 QVI ſcelus principi arbitratur aliquã-do vtile eſſe poſſe is vtilitatem ſe, tam a natura, quã ab honeſtate, ſeiungere fateatur neceſſe eſt, cùm hę duę adeo inter ſe vnitę ſemper, & connexę ſint, vt ſeparari nullò modo poſſint; nihil enim naturę conſentaneum eſſe poteſt, quod non idem honeſtum ſit, nec honeſtum aliquid quod cum natura pugnet; quo circa *Cicero* expoſiturus quid ſit honeſte viuere, illud nihil eſſe aliud ait, niſi *naturæ conuenienter viuere*, & proinde teſtatur *Socratem* eos merito exe- *Cicero de fin. lib. 4. Idem de offic. lib. 3*

culam inurat, Natura enim *nibil aliud eſt*, vt ait *Seneca*, *niſi Deus & diuina ratio toti mundo & partibus eius inſerta*. *Seneca de benef. lib. 4. cap. 7.*

3 Quam ob rem *Zeno* Stoicorum Princeps cenſebat legem naturalem, *vim eſſe diuinam, imperantem recta, prohibentemq. contraria*, & *Cicero*, naturæ legem appellat, *diuinam, & humanam, Iuris fontem, ius gẽtium, humanæ vitæ ducem, quam ſiquis ſequatur errare nullo pacto poterit*, à quibus non diſſentit Apoſtolus, cum dicit, *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt facere*. *Cicero de nat. deo. lib. 1. Idem de offic. lib. 3 Idem de leg. lib. 1. Rom. 2.*

4 Itaque cum natura, ſapientiſſima atque optima rerum omnium parens ſit, atq. eorum quæ genuerit, conſeruationi, & vtilitati ſummopere conſulat, nihil certe reijciet, quod proli ſuæ fructuoſum, & ſalutare eſſe poterit; Sed quid? an aliquid eſt a quo natura magis abhorreat, quam celus; cuius vis, in hoc pręcipue cõſiſtit,

vt naturæ legem violet? quod enim naturæ legi conſonum eſt, id ſcelus eſſe non poteſt:nam omne *vitium* inquit *D. Auguſtinus, naturæ nocet, ac p r hoc cõtra naturam eſt*,& S.Damaſcenus affirmat *homines fieri malos, declinando ad id quod eſt contra naturam*, & proinde, ab vniuerſa Philoſophorum ſchola ſtatutum eſt, quid quid naturæ conueniat, id bonum eſſe,quidquid autem ab ea diſſentiat, malum,eòq.deteriorem,peioremq ue eſſe rem quamlibet, quò magis naturæ legi repugnet.

D. Aug. de ciuit. dei li. 12. cap. 1.
S. Ioan. Damaſc. de orthod. fi. lib. 2. c. 30.
D. Tho. 1. 2. q. 94. 3. 2.

5 Cum igitur natura ea omnia qu . proſunt, libentiſſimè amplectatur,& ſcelus maxime reſpuat,& auerſetur, profectò ſequitur, nullam eſſe in ſcelere vtilitatem. Dequa re præclare *Cicero*. *Si nihil eſt*, inquit, *tam contra naturam quam turpitudo nihil tam ſecũdum naturam, quàm vtilitas, certe in eadem re vtili turpitudo eſſe nõ poteſt,quod qui parum perſpiciunt,hi ſæ*

Cicero de offic. lib. 3

pe

pe verſutos homines, & callidos admirã tes, eorum malitiam ſapientiã iudicãt.

6 Hoc vero cum *Macchiauellus* maxime faciat, infinita opinionum monſtra parit; nam non modo ſapientiam in calliditate, & prudentiam in dolo, fraudeq. conſtituit, ſed etiam in ſcelere vtilitatem, in vmbra, ſolaq. opinione religionem, in tyrannide potentiam, & honorem, in crudelitate ſecuritatem, in maxima deniq. miſeria ſummam felicitatem, imo & totum naturæ ordinem inuertit, omnia miſcet, omnia confundit, ſumma imis commutat, religionem politicæ, diuina humanis, ipſumq. deum mundo, vel, vt verius loquar, tum mundum, tum deum, ſuo principi ſubijcit, dum omnia ad illius commoda referat, perinde ac, ſi ipſe totius orbis, ipſiuſq. naturæ finis eſſet, Dominus, ac Deus. Quæ omnia quam abſurda, fœda, & principi pernicioſa ſint, dilucide oſtendam, ſi prius expediuero

diuero ea, quæ de vtilitate, quam in ſcelere conſtituit, reſtant excutienda.

SCELVS NON MINVS Principi quam Reip. pernicioſum. Item principem plus debere reip. quam ſibi lege naturæ

CAP. II.

1 HACTENVS docuimus vtilitatem cũ ſcelere coniunctam eſſe non poſſe; reſtat, vt oſtendam, ſcelus Principi non ſolum non vtile eſſe, verum etiam exitioſum; quod duobus præſertim argumentis efficiam; vno, quia ea eſt ſceleris conditio, ea natura, vt omnem humanam ſocietatem labefactet

factet & tollat ; altero, quòd iuſtum malorũ iudicem & vindicem Deum, in Principem concitat. Quòd autem ad primum attinet, *Macchiauellus*, non mihi multum faceſſit negotij, cùm, non inficietur remp. virtute ſtare, & ſcelere concidere, immo & Principi ſuo id conducere exiſtimet, vt ciues boni ſint, quo in officio facilius contineantur;

2 Quod cum ita ſit, duo eum in hac re peccare manifeſtum eſt; vnum; quia id Principi ſuo ſalutare eſſe poſſe arbitratur, quod toti reip. exitioſum eſt; alterum; quia in ciuibus virtutem requirit, non vt princeps ſit melior & probior, ſed vt illorum virtus, eius impietati tum inſeruiat, tum materiem ſuppeditet, vt dum cæteri omnes ſuauiſſimo virtutis (vt ita dicam) ſomno ſopiti conquieſcant & tum legibus, tum illi ad nutum obtemperent, ipſe interim ſecurius in omni bacchetur nequitia, atq. optimorum

morum ciuium bonis, fortunis, addo & ſanguine, ſatietur. Hæc enim ſunt præclara illa emolumenta quibus *Macchiauellus* Principem ſuum beat ſed quam ineptè & ridiculè nunc videbimus.

3 Hoc itaq. poſito fundamento, Reipub. pernicioſiſſimum eſſe ſcelus; quæro a *Macchiauello*, vtrum Princeps eius, erit pars Reipub. nec ne? pars, inquiet, ſed ea quæ in cæteras dominetur, caput ſcilicet. Illud quidem rectè; Ex quo ego conficio, Principem, nullam ex ſcelere vtilitatem capere poſſe. Si enim Reipub. caput ſit, illius commoda cum totius Reipub. commodis oportet eſſe coniuncta: quod ipſa Reip. & ciuilis ſocietatis ratio optime docet; nam, cum nihil naturæ ſanctius, nihil prius ſit, quam totũ genus humanum tueri & conſeruare, ita ſingulorum hominum ſaluti, & vtilitati conſulit, vt multò magis omnibus conſultum velit; atq.

vnum

vnum quemq. ad ciuilem ſocietatem id circo generauit, vt cum plures in vnam coaleſcant communitatem, ſinguli in omnium conſeruationem conſpirent.

4 *Quemadmodum* enim *cunctis nautis*, inquit *Ariſtoteles, nauigationis ſalus propoſita eſt, quam expetit eorum vnuſquiſq. eadem ratione ciuibus omnibus propoſita eſt communitatis ſalus; communitas autem eſt reſp.* hinc etiam ait *Cicero*: *vt leges, omnium ſalutem, ſingulorum ſaluti anteponunt, ſic vir bonus, & ſapiens, & legibus parens, & ciuilis officij non ignarus, vtilitati omnium plus quam vnius conſulit*. *Ariſt. polit. lib. 3. cap. 3.* Cicero li. 3. de finib

5 Ex quo ſequitur, cum ciuilis ſocietatis plurima ſint, tanquã vnius corporis, membra, nullum eſſe quod toti preponderet; nam non ad partes totum, ſed ad totum partes referuntur, qua ratione, in ipſo corpore humano, nullum eſt membrum, quòd pro totius ſalute, nõ exponet ſe ſponte cui-

Ariſt.lib. 8. polit. cap.1. te cuilibet periculo;prçclare *Ariſtoteles,quiſque ciuium ſe non ſuum,ſed omne. ſe ciuitatis eſſe putare debent, eſt enim vnuſquiſq. ciuitatis pars, procuratio autem cuiuſq. partis procurationem totius ſpectare debet lege naturæ, hæc ille.* Ad totius autem ſalutem maxime conducit, vt omnes Reip. partes bene ſe inter ſe habeant, nec alia alijs auferat quod ſibi aſſumat, ſed ſuum queq. potius in commodum ferat, quam de alterius commodis detrahat,quo ſingulę ſuo fungẽtes munere, ad totius conſeruationem concurrant;

Cicero de offic.li.3. 6 Hoc autem *Cicero* pulchra ſimilitudine declarat; *vt* inquit, *ſi v am quoduis membrum hnnc ſenſum haberet, vt poſſe putaret ſe valere, ſi aliorum membrorum valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſſet, ſic, ſi quis rapiat commoda aliorum emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum & communi-*

tas

tas euertatur neceſſe eſt. hoc non ſolùm de reliquis ciuibus, ſed etiam de ipſo Principe, Reip. capite, dicendum eſt; quare, Neronem optime monet *Seneca*, vt ob oculos ſemper habeat, *non remp. ſuam eſſe, ſed ſe reipub.* Natura enim principis poteſtatem, ad nullum alium finem inſtituit, niſi ad communitatem tuendam, conſeruandāq. vt cum ipſe pro ciuium ſuorum ſalute excubet, & vigilet, atq. ipſi viciſſim illum diligant, & obſeruent, eiq. obtemperent, tum reſp. ab ipſo, tum ipſe vnà cum rep. conſeruetur, qua pereunte, ipſe ſaluus eſſe nō poterit: nam ſimul cum corpore perit etiam caput vnà cum rep. princeps; *Sene. de clemen. lib. 1. cap. 19.*

7 Quare confitendum eſt, non minorem principi habendam eſſe reip. curam, quam ſui ipſius; quid dico non minorem? imo multo maiorem; nam ſicut corpus non eſt capitis gratia, ſed ipſum caput propter corpus, cuius eſt pars; ita non principis

cipis

cipis gratia reſp.ſed reip.gratia principis poteſtas à natura eſt inſtituta; & inter naturæ principia, nullum credo eſt notius, quam plus debere partem toti, quam ſibi, vt ſupra oſtendimus, quapropter *Cicero* docet, *patriam vnam, omnes omnium charitates complecti, chariorem q. nobis eſſe debere, quam noſmetipſos, pro qua*, inquit, *quis bonus dubitat mortem oppetere ſi ei ſit profuturus*; quod adeò intellexerunt olim plurimi Reges ſolo naturæ lumine ducti, vt remp. non modo amicis, propinquis, liberis, ſed etiam vitæ ſuæ prætulerint, quorum memoriam omnis poſteritas immortalitati merito conſecrauit, non vtar exemplorum copia; ex infinitis pauca ſeligam.

Cicero de offic. li. 1.

8 Meminit *Iuſtinus Pharnacis Parthorum* Regis, qui cum multos haberet filios, imperium tamen ſuum fratri ſuo *Mithridati*, inſigni virtute viro, reliquit, *plus regio quam patrio nomini*

Iuſtin. li. 41.

mini

mini deberi ratus,potiuſq.patriæ,quam liberis conſulendum.

9 Meminit etiam idem auctor *Alexandri* magni,qui cum *Herculem* filium,fratrem *Aridęum*,& *Roxanem* vxorem prȩgnantem relinqueret,ſciſcitãtibus ab eo iam morituro,quem Imperij faceret hæredem? reſpondit *digniſſimum,nefas arbitratus,tanti regni opes alijs quam probatis relinquere.* Idem, lib. 41.

10 Nec minor fuit *Cæſaris Augusti* in Rempub. charitas, qui nunquam filios ſuos populo commendauit,quin adijceret,*ſi merebuntur*. Suеton, in Auguſto. Laudanda hæc, ſed miranda ſane ſunt ea quæ de *Ericlheo Athenarum* Rege, alijſq. ſcribunt auctores. *Ericlheus*, inquit *Plutarchus*,*bellum cum Eumolpo faciens, accepit reſponſum ſe victorem futurum ſi filiam ſuam Dijs immolaret, qua re Praxithea vxori communicata, puellam occidit.* plutar. in parallel.

11 Huic addi poſſunt *Agamemnon Mycenarum* Rex, *Metellus*, &

Marius Imperatores Romani, qui ſimilibus reſponſis, vel ab oraculo, vel in ſomno acceptis, filias ſuas *Iphigeniam*
Idem ibid *Metellam*, & *Calphurniam* dijs ſuis immolandas tradiderunt, charitati erga patriam naturam poſtponentes;

12 *Codrus* etiam Athenienſium Rex, cum cognouiſſet Doricſibus hoſtibus ſuis fuiſſe ab *Apolline* reſpon-
Iuſtin. li. 2. ſum, eos ſuperiores fore, ni Regem *Athenienſium* occidiſſent, *permutato Regis habitu & ſarmenta collo gerens, hoſtium caſtra ingreſſus eſt, atq. ibi à milite, quem falce vulnerauerat, interfectus.*

13 Nonne etiam *Leonidas Lacedemoniorum* Rex, accepto ab *Apolline*
Ibidem. reſpõſo, aut ſibi aut vrbi cadendum, ſumma cum alacritate in ipſa hoſtium caſtra irrupit? quo pacto, maxima ſtrage facta, inter confertiſſimos hoſtes glorioſe occubuit?

Liuius Dec. 1. li. 8. & 10. 14 Mitto hic duos *Decios* patrem & filium, conſules, Imperatoreſq. Romanos

manos, qui capita ſua pro patriæ ſalute deuouentes, ſibi mortem glorioſam, & patriæ duas inſignes victorias pepererunt.

15 Mitto *Lycurgum*, & *Charondam*, *Lacedæmoniorum*, & *Thuriorum* Legiſlatores, quorum ille, ſimulata eundi *Delphos* occaſione, in perpetuum exilium ſponte profectus eſt, quia ciues ſui iureiurãdo ſe obſtrinxerant, ſe leges eius obſeruaturos, donec reuerteretur; hic, cum legem a ſe latam (cui mortis pœnam conſtituerat) ipſe imprudens violaſſet, ſibi ſtatim mortem conſciuit, inſpectante populo, ne ſua impunitas in legum preiudicium, & patrię damnum verteretur. *plutar. in lycur. Iuſtin. lib. 1.* *Diodor. Sicul. lib. 12.*

16 Mitto deniq. alios quamplurimos Principes horum ſimiles, cum cõſtet illos reges qui primùm populorũ & gentium imperia tenuere, (cum adhuc auaritię & ambitionis peſtis in regna non irrepſerat) ita erga pa-

triam fuiſſe affectos, vt ſuam ſalutem communi ſalute poſteriorem ducerent; hoc enim regium eſſe munus, à natura non tam didicerunt, quam hauſerunt;

17 Vt autem hoc liquidiſſimè conſtet, rem paulò altius repetam, & regiam dignitatem a ſuis deducam principijs, illamq. in puriſſimo naturę fonte inſpiciendam proponam, vt lector, venenatas peſtiferę tyrannidis aquas, quas *Macchiauellus* ſuo principi propinat, facilius diſcernat, caueat, & deteſtetur, de qua re quędam tamen pręmonenda exiſtimo:

18 Primum; poteſtatem regiam, quam dico naturalem, non ita intelligi debere, ac ſi reges illam proxime & immediate a Deo vel natura haberent (vt volunt huius temporis politici) cum luce clarius ſit, eos humano iure (nimirum vel electione, vel donatione, vel iuſto bello) omni illa, qua pollent, legitima poteſtate præditos

eſſe:

eſſe: Ita enim iure gentium conſtitutum eſt, vt quicunq. quouis horum titulo regnum adeptus fuerit, is legitimus princeps habeatur, & ſit;

19 Sed intelligẽdum eſſe, regiam poteſtatem ab ipſis regibus ita eſſe diſtinctam, vt illam a Deo vel natura proxime inſtitutam eſſe affirmem, ipſos autem reges minime. Quod D. *Chryſoſtomus* ſatis aperte docet, in hæc apoſtoli verba: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi a Deo.* Quid dicit, inquit, omnis ergo princeps a Deo conſtitutus eſt. iſtud, ait apoſtolus, non dico; neque enim de quouis principum ſermo mihi nunc eſt, ſed de re ipſa; quod enim principatus ſunt, quod hi quidem imperant, iſti vero ſubiecti ſunt, quodq. non ſimpliciter & temere cuncta feruntur, nec fluctuum inſtar, populi huc atq. illuc circumaguntur, diuinæ ſapientiæ opus eſſe dico; propterea, non dicit apoſto-

Rom 13. *Chryſoſt. in ca 13. ad Rom.*

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

lus non eſt princeps niſi a deo,ſed de
» re ipſa differit, dicens, non eſt pote-
» ſtas niſi a deo. Hæcille præclariſſime.

20 Nam quamuis (vt ibidem etiam ipſe ſignificat) Deus res humanas,ad euitanda diſſidia inter æquales,ita ordinauerit, & diſpoſuerit, vt alij imperent, alij pareant, id tamen hominum arbitrio reliquit,quam gubernationis formam ipſi amplecti velint; quapropter aliqui populi, ſe vnius imperio,alij plurium, alij paucorum, aliqui denique penes ſe omnem poteſtatem retinent,vnde variæ gubernationũ ſpecies oriuntur, nempe *Monarchia, Ariſtocratia, Oligarchia*, & *Democratia*:

21 Præterea,ſciendum eſt poteſtatem regiam mere naturalem, eam eſſe quæ in ſtatu Innocentiæ locum habuiſſet, ſi *Adam* non peccaſſet;nimirum poteſtatem,vt ita dicam,directiuam, qua patres filios, & prudentiores minus prudentes rexiſſent & guber-

D. Thom. 1. p q. 2. ar. 1. ad 2 & q. 96. ar. 3. cap.

gubernaſſent, propter obtemperantium bonum; Id enim certiſſimum eſt, omnem illam, quam nunc principes legitime exercent, coercendi & puniendi auctoritatem, poſt peccatum fuiſſe a iure poſitiuo introductam vt docet *D. Thomas*; quod etiam Iuriſconſultis nō diſplicere videtur; Cum ipſe *Iuſtinianus* affirmet omnes homines ab initio liberos eſſe natos, ideoque dominium temporale & ſeruitutem, non naturę lege, ſed gentium iure eſſe fundata. *Idem.4.6 36.1.2. & 3. Inſtitut. tit. de iure natura l..*

22 Hinc etiam ait *S. Auguſtinus* *vnde quiſq. poſſidet quod poſſidet? nonne iure humano? nam iure diuino domini eſt terra & plenitudo eius; pauperes & diuites de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra ſupportat; iure tamen humano dicitur, hæc villa mea eſt, hæc domus mea, hic ſeruus meus eſt.* Hæc ille; cui ſuffragatur *D. Gregorius liquet* inquit, *quod omnes homines natura æquales, genuit, ſed va-* *S.Auguſt. tract.6.in cap.1. Ioan.*

riante meritorum ordine, alios alijs, culpa poſtponit. Hactenus ille.

23 Ex quibus duo poſſunt elici; vnum; illam quam nunc habent temporales principes poteſtatem, nō tam lege naturæ, quam iure gentium niti, & proinde quamuis iuſtiſſima ſit, tamen non eſſe proxime a Deo, quemadmodum abſurde docent politici. Alterum, eandem principum poteſtatem, ad eam quam dixi mere naturalem (& directiuam) eò propius accedere, & naturæ legi eò magis conſonam eſſe, quò moderatior ac minus violenta ſit, & quò magis ſubditorum bonum promoueat, tueatur, & conſeruet; a qua poteſtate longiſſime abeſſe tyrannidem, imo cum illa maxime pugnare manifeſtum eſt.

S Gregor. de cura paſtor. p. 2. cap. 6. S. Ambroſ de dignit. ſacer. c. 3.

24 Poſtremo, id maxime aduertendum cenſeo, omnem temporalem poteſtatem, ſiue regiam, ſiue quamlibet aliam, ſpirituali & eccleſiaſtica poteſtate, ipſius naturæ lege, inferio•

rem

rem eſſe, eiq. in ijs, quæ ad animam vel ſpiritualia pertinent, ſubijci, eadem, inquam, naturæ lege, qua perfectioribus minus perfecta, ſuperioribus inferiora, animæ corpus, rationi ſenſus, cælo terra, reip. familia, fini denique ea quæ ſunt ad finem ſubijciuntur; Ita enim ſe habent temporalia ad ſpiritualia; & politicæ, ciuileſq. ſocietates ad Chriſti Eccleſiam (quæ cæterarum omnium ſocietatum eſt perfectiſſima, digniſſima & nobiliſſima) vt inferiora ad ſuperiora, minus perfecta ad perfectiora, & media ad finem, cum illæ ad hanc referantur, & haud aliter vltimum finem ſibi a Deo pręſtitutum, niſi per eam, conſequi poſſint;

S. Chryſo. de ſacerd. lib. 3.
S. Gregor Nazianz in orat. ad popul. timore percul
S. Grego. ep lib. 2. ep. 61.

25 Hæc enim non ſolum in omnibus regnis, rebuſquepublicis vna eademq. ſemper manet, & ſuum ius, ſuamq. tenet dignitatem, ſed etiam eas omnes complexu, & ſinu ſuo tanquam pia mater, continet, fouet, nobi-

Digitized by Google

nobilitat,abſoluit,perficit, imò & feliciſſimas efficit, quandoquidem eas, cum deo conglutinat, in qua re tam omnium rerumpublicarũ quam vniuſ cuiuſq. hominis conſiſtit beatitudo, & finis,quod non modo noſtri docent *a* Theologi, ſed antiqui etiam *b* philoſophi tradiderunt, vt alio opere, ſi deo placuerit, planiſſimum faciam; hic enim hæc tetigiſſe ſufficiet, ne dum politicos ad naturam prouocem de eccleſiaſtica videar aliquid derogare dignitate & poteſtate, quam diuina lege tum conſtitutam, tum omni humanæ poteſtati prælatam eſſe, ex ſacris litteris ſatis liquet. *Gens enim & regnum* inquit propheta, *quod non ſeruierit tibi*, id eſt eccleſię, *peribit*. Sed nunc reliqua proſequamur.

a *S. Aug. de vera reli. c. 1. S. Ambro. de offic. li. 2. c. 5. Lactant, lib 4. c. 9.*
b *Ariſtot. Eth. c. 10: plato in epinom. Mercur. Triſm. ad Aſclep. c.* 10. *Iamblic. de miſt.*
Iſay. 60
Matth. 18.

QVA-

QVALEM PRINCIPEM requirit natura & quędam de principis poteſtate & officio.

CAP. III.

1 CVM homines ad ciuilem ſocietatẽ nati ſint, & illius conſeruationem, ſummopere expetant, eam illius conſeruandę, tuendęq. rationem optimam eſſe cenſuerunt, quam tum in rerum vniuerſitate, ab vno moderatore gubernata, tum in rebus omnibus, quę in aliquam ſocietatem, compactionemq. coaleſcunt, vigere animaduertebant, in quibus, vnum cęteris excellens, imperium quoddam tenet, ſicut inter planetas ſol, inter animæ potentias intellectus, in familia domi-

Ariſt. pol. li. 1. ca. 2.

Idem. Ibidem.

dominus,atq. inter ipſa animalia ratione carentia,fortiſſimum & pulcherrimum, quod cæterorum agmina ducit;

2 Itaque primi homines ſcientes ciuilem ſocietatem,ad quam nati eſſent,corpus eſſe quoddam,& nec conſeruari,nec eſſe quidem poſſe ſine capite, quod cęteris membris non ſolum dignitate,ſed etiam virtute antecelleret,ſe alicuius optimi & pręſtantiſſimi viri imperio ſubiecerunt, partim impellente natura,partim cogente etiam neceſſitate; de qua *Cicero*; *cum* inquit, *premeretur initio multitudo ab ijs qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantem,qui cum iniuria prohiberet tenuiores, æquitate conſtituta, ſummos cum infimis pari iure retinebat*. Hinc etiam Ariſtoteles; *regnum inquit in præſidium bonorum hominum, contra vim popularium eſt conſtitutum, & Rex ex numero proborum virorum creatus eſt*.

Cicero offic. li. 2.

Ariſt lib. 5 polit. c. 10.

eſt, quia virtute & rerum geſtarum magnitudine præſtaret. hæc illi de neceſſitate.

3. At *Seneca* naturæ vim in aurei ſeculi monarchijs agnoſcens, primorumq. regum pulcherrimè depingens mores, præclare docet quodnam ſit regis officium. Primi inquit *mortalium, atq. ex hijs geniti, naturam incorrupti ſequebantur, eandem habentes & ducem, & legem, commiſſi melioris arbitrio. Naturæ eſt enim deteriora potioribus ſubmittere; Ideoq. ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe niſi melior; tantum enim quantum vult poteſt, qui ſe niſi quod debet, non putat eſſe. Illo ergo ſeculo quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuit regnum, hi infirmiores à validioribus tuebantur. Suadebant, diſſuadebantq. vtilia atq. inutilia monſtrabant; horum prudentia, ne quid deeſſet ſuis, prouideb , fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, ornabatq.* Senec. ep. 91. ad Lucil.

ſubie-

ſubiectos; officium erat imperare non regnum: nemo quantum poſſet aduerſus eos experiebatur, per quos cœperat poſſe. hæc ille.

4 Ex quibus diſcant politici quę fuerit prima regiæ dignitatis inſtitutio, quę auctoritas, quis finis; nēpe non aliunde orta eſſe regna, quam a populi voluntate, nec alios a populo creatos reges, niſi qui cęteris virtute pręſtabant, nec alium ob finem, niſi vt reliquis ciuibus patrocinio & præſidio eſſent, deniq. imperare, & dominari, *officium eſſe* lege naturæ, *non regnum*; id eſt, imperatoriam ſiue regiam poteſtatem, nihil aliud eſſe, quam ciuilem magiſtratum; ſupremum illum quidem, ſuis tamen adeò circumſcriptum finibus, & terminis, vt regi nō liceat quidquid libeat, ſed id ſolummodo quod Reip. conducat. *Nam vt gubernatori* (inquit *Cicero*) *curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria: Sic reip. moderatori, bea-*

Cicero ad Attic.

ta

ta ciuium vita propoſita eſt, vt ea opibus firma copijs locuples; gloria ampla, & virtute honeſta ſit. Sed de hac re audiamus Beatũ *Gregorium*, qui de ipſis principatus poteſtatiſq. Principijs diſſerens, ex intimis tam ſcripturę ſacræ, quam naturæ medullis pulcherrima depromit documenta, locus longus eſt, ſed inſignis, & ad rem quam tractamus, accommodatus.

5 *Liquet*, inquit, *quod omnes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine, alios alijs culpa poſt ponit, ipſa autem diuerſitas quę acceſſit ex vitio, diuino iudicio diſpenſatur, vt quia omnis homo æquè ſtare non valet, alter regatur ab altero, vnde cuncti qui præſunt, non in ſe poteſtatem debent ordinis, ſed æqualitatem penſare condicionis, nec præeſſe ſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe, Antiqui enim Patres noſtri non reges hominum, ſed paſtores pecorum fuiſſe memorantur, & cum Dominus Noe, filijſq. eius benediceret,* S. Greg: de cura paſtor. p. 2. cap. 6.

ceret, dicens, creſcite & multiplicamini & replete terram, adiunxit & terror veſter & tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ, quorum videlicet terror & tremor (quia eſſe ſuper animantia terræ præcipitur) profectò eſſe ſuper homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris natura prælatus eſt; & idcirco contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri; & tamen neceſſe eſt, vt Rectores a ſubditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt; vt humana ſaltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant, nequaquam enim ex hoc quæſito timore præpoſiti ſuperbiunt, qui nō ſuam gloriam, ſed ſubditorum iuſtitiam quærunt, in eo enim quod metum ſibi à perverſe viuentibus exigunt, quaſi non hominibus ſed animalibus dominantur, quia ex qua parte beſtiales ſunt ſubditi, ex ea, debent formidini ſubiacere ſubſtrati.

Hæc

6 Hæc vtinam recordentur Reges, & dies noctesq. cogitent, non tam conſiderantes,in quo dignitatis gradu ſint locati, quam qua condicione,& quorſum nati,vt intelligant, ſubditos ſuos quamuis ordine inferiores, natura tamen ſibi eſſe æquales,cum homines ſint vtriq. & iiſdem infirmitatibus obnoxij; De qua re, ipſe naturæ auctor futuros populi ſui Reges ſatis aperte monuit, quando cum *Moyſe* de Regis officio ſermonem habuit; *Non eleuetur*,inquit,*cor eius ſuper fratres ſuos*, ac ſi diceret, non ita ſe regem eſſe ſciat, vt hominẽ ſe eſſe neſciat, nec gerat ſe pro ſeruorum domino,ſed pro fratrum ſuorum gubernatore, vt quos homines communis boni ratio ſibi ſubiecit,eos ipſe homo tanquam fratres amet,& omnibus charitatis officijs proſequatur; Quamuis enim, (vt *D. Antonius* monachis ſuis dixiſſe perhibetur) princeps cęteris hominibus dignitate *Deut.17.*

antecellant, eandem tamen cum cæteris habent naſcendi, & moriendi condicionem; Quare etiam ipſe, perbenignis ab Imperatore *Conſtantino* eiuſq. filijs, litteris ſalutatus, reſcripſit, *id illis præcipuè cauendum, ne magnam exiſtimarent eſſe regiam poteſtatem, & ne carnis imperio tumentes, ſe homines eſſe, atque a chriſto, vno & ſempiterno ſæculorum omninm rege, iudicandos obliuiſcerentur.*

Athanaſ. in vita Antou. Baron. an 328.

7 Hæc ille; & præclare quidem; ſi enim principes hæc ob oculos ſemper habuerint, haud erunt, vel ad fortunæ lubidria æquanimiter ferenda imparati, vel erga homines in humani, vel regia poteſtate, rebuſue ſecundis nimis elati, ſed ſibi facile perſuadebunt, id quod res eſt, ſe homines, hominũ cauſa natos eſſe, nec æquum eſſe, vt ab ijs quorum ipſi naturam participant, propter crudelitatem timeantur, ſed propter iuſtitiam amentur, colantur, & obſeruentur; ab ijs, inquam,

quam,quibus præſunt vt proſint,non vt eos ſeruitute premant, quos regunt, vt ad virtutis & rationis normam illos dirigant, vt cadentes erigant,vt peccantes corrigant,& emendent,non vt eos crucient,lanient,dilacerent;a quibus deniq. timorem & obedientiam idcirco exigere debent vt ad Dei timorem & obſequium eos vel volentes ducant,vel nolentes cogant,& compellant, ad quod, omnis ille,qui Regibus debetur,timor,præcipue referendus eſt.

8 In quo etiam illud eſt animaduertendum, honores regios cæteraq. regum priuilegia, non tam dignitati regiæ, quam regnandi laboribus, vigilijs,& moleſtijs deberi. Sapientiſſime enim à natura comparatum eſt, & vbiuis gentium vſu receptum, vt in ciuilibus magiſtratibus,oneri honos, & virtuti laus reſpondeat, & quantò quis probiorſit,maioreq.ſtudio & labore in commune bonum in-

cumbat, tantò maiore honore & gloria decoretur; aliter enim nemo rēp. propter curas inde emergentes capeſſeret. huc alludit Socratius *Xenophon* apud *Ciceronem* cum dicit eoſdem labores non æquè grandes eſſe Imperatori, ac militi, quod, ipſe honos laborem Imperatoris leuiorem facit. Sed luculentius *Cicero* de ſenatoribus loquēs, *quàm multa ſunt commoda* inquit, *quibus caremus, quàm multa moleſta, ac difficilia quæ ſubimus? atq. hæc omnia tantùm honoris & amplitudinis commodis compenſantur.*

Cicero Tuſcul. quæſt. lib. 2.

Idem pro A. Cluen.

9 Itaque hoc intelligant Reges, honores ſibi delatos non tam regiæ poteſtatis ornamenta eſſe, quam virtutis & laboris præmia, quibus gubernandi curæ, Vigiliæ, & angores compenſantur, & leniuntur. hoc teſtatur ipſe apoſtolus qui rationē redditurus, cur tributa principibus a ſubditis ſoluenda ſunt, *miniſtri*, inquit,

Dei

Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes id eſt (vt hunc locum exponit *D. Thomas*) quia tum Deo tũ populo ſeruiũt, dũ iuſtitiam adminiſtrant & communi ſubditorum bono, paciq. conſulunt; qua propter *tributa* inquit *eis debentur, quaſi laboris ſtipendium*; nec aliter interpretatur *D. Chryſoſtomus* apoſtoli verba, quibus *oſtendi* ait *laborem & miſeriam principum, cum hæc ſit illis vita, hoc ſtudium, vt populus pace fruatur*, atque idcirco æquum eſſe, vt *curæ & ſollicitudinis merces illis a populo perſoluatur*.

D.Thom. in ep.ad Rom.

10 Hoc autem cum plurimi, vel non animaduertant, vel negligant, honores regios, & cetera regum commoda auide conſectantur, eaq. conſecuti, regnandi ſolicitudinem, laboremq. defugiunt, torpentes otio, libidine languentes, & liqueſcentes voluptate; quo pacto plurimi Reges ab honore & ſtatu regio turpiſſime deciderunt, ſicut in regno Aſſyriorum.

a Iuſtin. lib. 1. b Nauclér. chron an. 1400. c Iuſt. li. 34. d paul. Amil. in chil. der.

a Sardanaplus, in Imperio Romano *b Vuenceſlaus*, in Aegypto *c Ptolomeus*, a'Romanis poſtea regno reſtitutus, & in Gallia *d Childericus*, nuncupatus *faineant*, id eſt nihil agens, qui totius Populi conſenſu, propter ignauiam regno priuatus eſt, nec iniuria, Rex enim nihil agens, male agit, & quò ocioſior, eò eſt Reip. pernicioſior.

Plutar. in Apophtheb. Regum. Idē ibid.

11 Quare, verè regium fuit illud *Alexandri* magni dictum, *quid refert ſi multa habeam, & agam nihil*; Nec minus egregiè *Dioniſius* Senior Siciliç Tyrannus, percunctanti cuidam *eſſet ne ocioſus*, reſpondit, *abſit, vt vnquam hoc mihi contingat*. Itaq. *Plato*, regem recte confert Gubernatori nauis, qui nec mentem nec manum vnquam à gubernaculo amouere debet, cuius vel leuiſſima negligentia, & incuria, ſemper periculoſa eſt, & quandoq. tam ſibi quam ſuis exitioſa.

Plato

12 Hæc veritas animis omnium adeò

adeò a natura inſita & impreſſa eſt, vt *Mexicàni*, noui orbis incolæ, (gens omnino barbara & bonarum artium expers) quamuis regibus ſuis ſummam præſtarent obedientiam, eos tamen recèns creatos, perpetui laboris & oneris in ſe ſuſcepti ita admonere ſolebant, vt non dubitarent eos totius multitudinis ſeruos & mancipia appellare; quorum verba notatu digniſſima, non literis (quarum nullam ſcientiam nedum vſum habebant) ſed memoriæ mandata, & filijs à Patribus, quaſi per manus tradita, in medium afferrre non pigebit, vt in populo imperito penitus, & rudi, naturæ vis magis eluceat;

13 Cum itaq. *Gens Nauatlacana* ſedibus ſuis relictis, nouas quæreret, atq. ad paludes tandem Mexicanas, (vnde poſtea nomen ſumpſit) appelleret, ab *Azcapuzalcorum* rege, illis locis vicino, ſummis precibus cõtendit, vt nepotem ſuum ſibi in regem *Acoſta Hiſt. Indie occident.*

darer,

daret, qua re impetrata, & Iuuene domum deducto, vnus e ſenioribus in frequenti totius populi conuentu, nouum regem ita affatus eſt.

14 Feliciter adueneris, ętate fili,
« poteſtate domine, & rex noſter, ad
« hanc ciuitatem pauperrimam, inter
« carecta & cannas fabricatam; per-
« pendas, quæſo, te huc veniſſe, vt ſis
« clipeus, vmbraculum, & perfugium
« gentis Mexicanę; ad inſtar Dei noſtri
« Vizilipuzli cuius imago nobis es, &
« cuius nomine, huius Reip. habenę tibi
« traduntur; noſti, aduenas nos eſſe, &
« proinde facile conijcies, non eò te
« huc aduenisſe, vt otio & voluptatibus
« indulgeas, ſed vt nouos, continuoſq.
« labores ſubeas, factus mancipium, &
« ſeruus totius huius multitudinis, quę
« tibi ſorte contigit &c. Hęc ille.

15 Item aliquot poſt annis, ſic alteri Regi, alter orator; perſuaſum *Idē ibid.* habeas, inquit, de te pendere omnes; An fortaſſis humerum oneri ſubtrahes,

hes,& cadere ſines id,quod ſuſtinere »
debeas? An ſenes, orphanos,& vidu- »
as ope tua deſtitues? moueat temi- »
ſeranda infantulorũ in cunis vagien- »
tium conditio, qui peribunt prorſus, »
ſi hoſtes noſtri nos ſuperauerint, ex- »
pandas ſinum tuum, & explices pal- »
lium,eoq. excipias pauperes, vt illos »
tanquam filios humeris tuis geſtes, »
ad te enim tanquam ad patrem con- »
fugiunt, ſperantes ſe ſub vmbra pal- »
lij & benignitatis tuæ tutiſſime fore »
conquieturos.

16 Hæc de officio Regis, ſenſerunt homines illiterati prorſus, & in nullis verſati ciuilibus ſtudijs, nec liberalibus imbuti diſciplinis, ſed ſolo naturę lumine illuſtrati; qui tres pręſertim virtutes, quę tamen ceteras omnes continerent,in ſuo rege requiſiuiſſe videntur, religionem, fortitudinem,& iuſtitiam; primam,vt a Deo communi omnium domino, tam reipub.quam ſibi omnia bona impetra-

rent

Digitized by Google

rent,ſecundam, vt nō ſolum labores, angoreſq. cum regia dignitate coniunctos fortiter perferre, ſed etiam a ſuis ciuibus omnem hoſtium impetum propulſare poſſet;tertiam, vt iuſtitiam ad miniſtrando,communi omnium ſaluti,& paci conſuleret.

17 De duabus vltimis, poſita prima,expreſſam fecit mentionem populus Dei, cum a *Samuele* Propheta
1.Rey.8. regem peteret, *Rex* inquit *erit ſuper nos,& erimus nos quoq.ſicut omnes gentes,& iudicabit nos rex noſter,& egredietur ante nos,*& *pugnabit bella noſtra pro nobis.* Vnde etiam colligi poteſt, omnes illorum temporum Reges duo præcipuè munia obijſſe,ducis, & Iudicis,& non perminiſtros,& vicarios, vt nunc, ſed per ſeipſos iudicia exercuiſſe,dicētes ius populo,Iudicumq. munere fungentes, quod itidem teſtantur profanæ hiſtoriæ de regibus *Aegyptiorum*, *Perſarum*, & *Macedonum*,quapropter appoſite reſpondiſſe

fertur

fertur mulier quædam *Philippo Macedonum* regi, dicenti, ſe iudicio illius cauſç adeſſe non poſſe, *cur*, inqnit *Rex vocaris*, ac ſi diceret, *ſi Regis officio ſatisfacere nequeas, nec regio nomine dignus es*. Plutar. in Apoph. Reg.

18 Hinc Spiritus ſanctus in ſcripturis ſacris Reges appellat, non ſolum *Iudices finium terræ*, ſed etiam *miniſtros regni Dei*. Hinc Regina *Sabæ* Salomoni; *conſtituit*, inquit, *te Deus regem, vt faceres Iudicium & Iuſtitiam*, Hinc ipſe *Salomon*, iuſſus à Domino poſtulare quidquid vellet, *Dabis*, inquit, *ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit*; inquo nihil aliud petijt, niſi vt partes regis cumulatè poſſet explere; vbi etiam obſeruari poterit, illum non dixiſſe, populum meum, ſed tuum, ideſt, Dei, & ſuæ curæ fideiq. commiſſum; quod item, in ſuis populis, natura ſola duce agnouerunt gentilium reges; cuius rei teſtis eſſe poterit, rex ille *Azcapuzaltorum* Sap. 6. 3. Reg. 10 3. Reg. 3.

corum in nouo orbe(de quo ſuprà)qui cum nepotem ſuum dimitteret,vt populo Mexicano imperaret,*Eas*,inquit *nepos chariſſime , & Deo tuo ſeruias , ſiſq. miniſter eius,vt regas,& gubernes populum illius , per quem viuimus , & qui eſt dominus noctis , diei , & ventorum .*

Acoſta Hoſt.

19 Eòdem etiam ſpectant , quæ oratorem Mexicanum , ſuum ad monuiſſe Regem ſuprà commemorauimus,nempe Dei ſui nomine regni habenas illi traditas eſſe . Hoc etiam Perſæ olim recte animaduertiſſe videntur; qnibus in more poſitum fuit, vt vnus e regis cubicularijs , regem quotidie ſummo mane , dum adhuc in lecto eſſet, ita ſalutaret, *Surge Domine,& ad ea te accinge munia, quibus Meſoromaſdes* (ideſt Deus magnus) *te deſtinauit .*

plutar. quod prin ceps doctus eſſe debet.

20 Sed de regis miniſterio, officioq. præclariſſime *Plutarchus* , *Principes*,inquit, *miniſtri Dei ſunt , ad curam*

Idem ibid

ram & ſalutem hominum, vt bona quæ Deus illis largitur, partim diſtribuant, partim ſeruent. Hoc ſacrę literę multo certius docent, & luculentius, dicentes, *non eſſe poteſtatem niſi a Deo*, & principibus regibuſq. *datam eſſe a Domino poteſtatem, & virtutem, ab altiſſimo*, ac *per Deum reges regnare, principes imperare & potentes decernere iuſtitiam; omnemq. paternitatem in cælo & in terra ab eo nominari.* *Rom.13.* *Sap.6.* *prouer. 8.* *Ephes.3.*

21 De qua re nemo dubitare poterit, qui philoſophiam, vel primoribus labris attigerit, in qua, nihil omnino notius, nihil certius, quam quid quid boni in vniuerſo eluceat, illud totum a ſua prima cauſa, ideſt a Deo creatore, tanquam a ſuo fonte manare, qui cum infinitæ ſit bonitatis, ſuas excellentias cum creaturis ſuis communicat, *dona ſua diuidens ſingulis prout vult*. Qua ratione *Plato* illum per ſe *bo um & pulchrum* appellat, docetq. rerum omnium creatarum bonita- *1.Cor.12* *Plato in Sympoſio & phædone.*

nitatem, & pulchritudinem, nihil aliud eſſe, quam diuinæ bonitatis pulchritudiniſq. radium quendam in illis fulgentem, & proinde nihil in vniuerſo præter ipſum Deum propter ſe amandum eſſe, ſed Deum in omnibus & propter Deum omnia.

22 Itaq. cum eadem ſit ratio humani imperij, maieſtatis, dignitatis, honoris, & gloriæ, quæ reliquarum rerum, confitendum eſt, illa, ab eodem fonte fluere, a quo cetera omnia, ab eo videlicet, qui ab *Ariſtotele* appellatur *prima cauſa*, a Triſmegiſto & Orpheo, *vniuerſi principium, medium & finis*, a Platone, *mundi pater, & gubernator, cauſa pulchrorum omnium, & vniuerſorum rex, cuius gratia omnia*; a ſcriptura deniq. ſacra, *rex regum & Dominus Dominantium, qui Dominus nominatus eſt in ſignum æternum, & non auferetur ab eo*.

Ariſt. metaph. li. 1. & 12. Triſmeg. in pœmā. cap. 3. Plato in Timæo. Sophis. phædro, & de rep. lib. 6. Apoc. 19. Iſay. 55.

PLVRA

PLVRA DE PRINCIPIS poteſtate, de ſimilitudine principis & Dei, de potentia a virtute disiuncta

CAP. IV.

1 PRAETEREA reges non ſolum miniſtri, verum etiam imagines, & ſimulacra Dei vocantur, & ſunt; nam, ſicut Reſp. ex multis varijſq. hominum generibus concinnata, mundi ſtructuram & harmoniam imitatur, ita princeps nullius imperio obnoxius, Dei, totius vniuerſi moderatoris vice, & more, bonitatem ſuam ciuibus impartit, iuſtitiam ad miniſtrando, *Iuſtitia* (inquit *Plutarchus*) *finis eſt legit, lex autem principis opus; princeps verò Dei ſimu-* Plutar. de doctrina princip.

ſimulacrum adminiſtrantis omnia, nihil egens Phidia ſtatuario, neq. Policleto, neq. Mirrhone, ſed ipſe ſe ipſum per virtutem ſimilem Deo reddit;

2 Hæc ille; quæ velim Principes animaduertant, vt cùm Deo ſimiles fieri geſtiunt, ſciant, qua in re illa conſiſtat ſimilitudo, quam pleriq. Principes, (toto aberrantes cælo) non in virtute & pietate ponunt, ſed in potentia quadam adeò abſoluta, vt quid quid velint poſſint, & *ſtet pro ratione voluntas*, exiſtimantes, ſe omnino impotentes fieri, duramq. ſeruire ſeruitutem, ſi rationis & virtutis imperio pareant; Cum tamen potentia a ratione & virtute diſiuncta, res fera ſit & immanis, homineq. prorſus indigna, qua non modo animalia rationis expertia, ſed etiam inanimata, naturam humanam longe ſuperant, vt ignis, terræmotus, venti, fulmina, flumina, quæ humana omnia ſternunt, & homines ſummæ impotentiæ, atq. imbec-

Iuuenal. Saty. 6.

imbecillitatis conuincunt. Quare, *Ageſilaus Lacedæmoniæ* Rex, potentiam & magnitudinem Regiam, non regni finibus, ſed virtute, iure optimo metiebatur, qui, cùm potentiſſimum *Perſarum* regem, *magnum* appellari audiret, *cur*, inquit, *me maior habendus eſt, niſi ſit iuſtior*.

plutar. in Ageſilao.

3 Itaque ſciendum eſt potẽtiam & virtutem, quantum ad remp. ſpectant, eò eſſe vtiliores, quò magis ſint in principe vnitæ, alteramque altera indigere, vt viſum luce, & lucem viſu; quocirca *Plato*, oſtẽdit perpetuum ſapientiæ, & potentiæ congreſſum, non ſolum in ipſa diuinitate; ſed etiã in naturæ operibus, docetque neutram illarum, ſine vtriuſq. copula vtilem, nedum perfectam eſſe poſſe; ſed potentiam ſine ſapientia, eò eſſe perniciosiorem, quò maiorem, ſapientiam verò, abſq. potentia mancam, & mutilam; quapropter, non modo principibus prçcipit, vt ſapientes cir-

plato ep. 2. ad Dioniſio vide etiã Mar ſil. Ficinũ in argumen. eius epiſt.

Digitized by Google

cum ſe habeant & honorent, verum etiam ſapientes hortatur, vt Principes comitentur,& conſilio iuuent;felicem enim ait eſſe familiaritatem ex potente & ſapiente conflatam;ſed feliciorem multò ſapientiæ & potentiæ in eodem homine copulam; & fæliciſſimam deniq. illam fore Rempublicam, vbi aut Philoſophi regnent, aut Reges philoſophentur; *potentium enim*, inquit, *ignorantia res eſt maxime hoſtilis & teterrima reiquepublicæ exitioſiſsima*.

plato. de rep. dialo.5. Idem in philibeo.

4 Sed vt ad Dei & Principis ſimilitudinem redeam, *Plutarchus*, meritò irridet antiquorum Regum inſaniam, qui ex viribus & potentia laudem quęrentes, nominarunt ſe *poliorcetas*, *ceraunos*, *niceratos*, & pingi, vel fingi, voluerunt tridentiferi, & fulminantes, diuinæ naturæ ſimilitudinem ſtultè admodum affectantes in illis rebus, quas aſſequi nullo modo poterant, atq. interim iuſtitiæ & virtu-

plutar. in Ariſtide.

virtutis laudem comtemnentes, quibus non modo ceteris animantibus prętare,ſed etiam Deo ipſi ſimillimi fieri potuiſſent. Quocirca *Plato*. *Deo,* inquit, *ſimiles homines efficit iuſtitia cum prudentia, & ſanctitate coniuncta, Deus enim nuſquam & nullo modo iniuſtus eſt, ſed iuſtiſsimus, nihilq. illi ſimilius quam iuſtiſsimus homo.* *plato. in Theat.*

5 Hoc etiam ſacræ litteræ haud obſcure innuunt, cum docent, deum ad ſui ſimilitudinem hominem formaſſe, quod ſancti patres ita dictum eſſe intelligunt, quia Deus hominem innocentia, iuſtitia & virtutibus ornauit; ad quam quidem Dei ſimilitudinem, nos etiam allicit, & inuitat diuina bonitas dicens, *ſancti eſtote quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter, & perfecti eſtote, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* *Gener. 5. Ciprian. Ser. de bono paheni Ambroſ. de dignit. condicio. hum. c. 2. Baſil. Hexam. c. 10 Chryſoſt. Hom 9. in Geneſ. Auguſt. cont. Adimant. c. 5. leuit. 19. matth. 5.*

6 Itaq. Princeps qui potentia virtute nuda, ceteris excellit, tantum a diuina natura, & ſimilitudine abeſt,

vt belluæ potius immanitatem gerat; nam cupiditatum ſuarum factus ſeruus, fit, vt ait Rex pſalmiſta, *ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus*, dequo etiã id dici poterit, quod de primo homine Spiritus ſanctus; *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt eis*. Cuius rei Deus preclariſſimum dedit exemplum in potentiſſimo rege *Nabuchodonoſore*, quem ex ſumma poteſtate, & dignitate, ad ferarum & pecudum paſtum meritò deiecit, vt quarum feritatem moribus exprimebat, earum experiretur infelicitatem & conſortio frueretur.

pſal. 31.

pſal. 38.

Daniel. 4.

7 Huiuſmodi Principum vanitatem, & ſtultitiam, lepida ſimilitudine depingit *Plutarchus*, dicens, eos ſimiles eſſe ſtatuarijs imperitis, qui coloſſos rectè ſeformare credunt, ſi eos fingant ſatis magnos, latè diſtentos, & hiantes, tibijſq. vehementer didu-

plutar. de doctrina princip.

diductis,quamuis,nullam proportionem ferunt;ſic enim illi,regio ſe muneri rectè ſatisfacere arbitrantur, ſi potentiæ opinionem nacti, grauitate vocis,ſeueritate vultus,& declinatione conſuetudinis humanæ, maieſtatem,& auctoritatem quādam regiam imitentur, nihil prorſus diſcrepantes ab ipſis coloſſis, (qui foris heroicam præ ſe ſpeciem ferunt, & intus pleni ſunt terra,lapide,plumbo) niſi quòd coloſſi ſuo pondere librati, ſtabiles, & immoti manent, & Principes ſcelerati, quum intus male librati ſint, plerumque vacillant & ſubuertuntur; Etenim,cum,baſi non recte poſita (id eſt, non iacto virtutis, ſed ſceleris fundamento) excelſas potentiæ turres fabricentur, neceſſe eſt,vt tota nutet fabrica,& quantò excelſior ſit, tantò citius ſua mole & pondere corruat.

8 Sed hic mihi obſtrepet fortaſſis Politicus aliquis & obiectabit ea

quæ de iure regis *Samuel* propheta denunciauit iudæis regem petentibus. *Hoc*, inquit, *erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis; filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarũ ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum, filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias, focarias, & panificas, agros quoq. veſtros & vineas & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis, ſed & ſegetes veſtras & vinearum redditus addecimabit, vt det eunuchis, & famulis ſuis, ſeruos etiam veſtros & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo, greges quoq. veſtros addecimabit, voſq. eritis ei ſerui. Hæc propheta.*

1. Reg. 8.

9 Sed quis neſcit prophetam hic prędixiſſe quales futuri eſſent Iudęorum reges, non quales eſſe deberent? innuit

innuit enim, ſimiles eos futuros cæteris illorum temporum tyrãnis; quocirca ius regis appellauit eam, quam ſibi ſumpturi eſſent, auctoritatem, vel illorum potius conſuetudinem, id enim ſignificat verbum *miſpat* in Hebræo, nempe diſpoſitionem, morem, conſuetudinem vel (vt in chaldaico legitur) ſtatutum; ex quo liquet prophetam haud ſignificaſſe, quodnam eſſet regiſius (id eſt iuſta auctoritas,) ſed quis futurus eſſet Iudæorum regum regendi mos, quæ conſuetudo, & quales condituri eſſent leges; Eas autem iniuſtiſſimas fuiſſe, ex ipſis ſacris ſcripturis manifeſtum eſt; aliter enim non peccauiſſent *Dauid*, & *Achab* in cæde *vriæ*, & *Nabothi*, hic vt vinea, ille, vt Berſabe potiretur (vſi enim fuiſſent iure ſuo) neq. facti pęnas dediſſent, quas tamen de illis ſumpſit Deus grauiſſimas, quod notius eſt quam vt hic neceſſe ſit illud pluribus perſequi.

regis ius

2. Reg. 11 16. & 17
4. Reg. 19 & 20.

10 Sed optimus huius loci inter pres & controuerſiæ Iudex erit ipſe Deus, qui prædicens *Moyſi*, aliquot ante ſeculis, *Iudæos* regem aliquando petituros, docuit, qualis eſſe deberet, nempe tribus pręcipue virtutibus ornatus, ſummo Dei timore, erga ſacerdotes reuerentia, & erga ſubditos (quos fratres eius, non ſeruos appellat) manſuetudine, & clementia. Legant locum politici & aduertant, vt regis diſcant officium.

Deut. 17. 11 *Poſtquam ſederit Rex in ſolio regni ſui deſcribet ſibi deuteronomium legis huius in volumine accipiens exem plar a ſacerdotibus leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq. illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt, Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neq. declinet in partē dextrā vel ſiniſtrā, vt lōgo tēpore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſrael.*

Ecce

12 Ecce ius regis, diuino denunciatum, & prædicatum ore, ex quo liquet, *Samuelem* cum ius futuri, apud Dei populū, regis deſcriberet, ipſum *Macchiauelli* principem, tyrannum, inquam, (quales plurimi fuere *Iudæ* & *Iſraelis* reges) depinxiſſe; cuiuſmodi etiam illi fuere de quibus poſtea *Michæas*, *comederunt*, inquit, *carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ*. *Et* *Ezechiel* (ipſos *Iſraelis* principes cæteroſq. tyrannos ſub paſtorum metaphora alloquens) *lac*, inquit, *comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia*. Mich. 3. Ezech. 34

13 Hæc propheta, quid igitur? hoc qui faciunt principes, num ius regis prætendere Poterunt, quo minus tyrannidis pænas luant? Audiamus

mus

mus eoſdem etiam prophetas diuinam illis comminantes vindictam; Mich 3. *clamabunt*, inquit, Michæas, *ad dominum & non exaudiet eos, & abſcondet faciem ſuam ab eis, in illo tempore, ſicut nequiter egerunt in ad-inuentionibus* Ezech. 34 *ſuis*, & Ezechiel, *væ* inquit *paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemeptipſos, nonne greges a paſtoribus paſcuntur? Ecce ego ipſe ſuper paſtores meos requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant gregem, &c.* Has autem haud inanes fuiſſe prophetarum minas, diuina tã in ipſos Iudaici populi principes, quam in plurimos, quos infra memorabo, tyrannos, vltio commonſtrabit.

14 Hæc de poteſtate, & officio principis obiter, breuiterq. tetigiſſe ſufficiat, cùm regem vel principem formare non mei ſit inſtituti, ſed regiam dignitatem, poteſtatemq. a ſuo fonte deriuare, ab ipſa, inquam, natura, vt quid Rex naturæ legi conſo-

nus,

nus, *Macchiauelli* tyranno interſit, lector diiudicet; Qui autem de officio principis plura deſiderat, legat Patrem *Petrum Ribadeneiram*, ſocietatis Ieſu, quem honoris, & amoris cauſa nomino, cum neminem nouerim illo nec eruditiorem, nec prudentiorem, nec amantiorem mei, nec deniq. qui de Principe chriſtiano ſcripſerit, vel elegantius, vel vberius.

P. Ribadenyra. de princi. Chriſt.

EX PRECEDENTIBVS concluditur aduerſus *Macchiauellum*, eius Principem à natura eſſe alieniſſimum, & non minus ſibi, quam Reip. exitioſum.

CAP. V.

1 HIS igitur ita ſtabilitis videamus quam affabrè *Macchiauellus* ſuũ Principem ad naturæ nor-

normam & regulam dirigit, & quam pulchrè illius conſulit vtilitati, cum illum ſceleratū faciat, & flagitioſum Si enim ex naturæ præſcripto omnia ad communitatem referri debeant, nullaq. ſit Reip.pars,quę toti ſit prę-ferenda; Si regis munus ſit Iuſtitiam colere,& exercere,communi bono in cumbere,reip.tranquillitatem & pacem tueri, ciuium ſalutem ſua habere chariorem; ſi Princeps non modo Dei miniſter ſit, ſed etiam ſimulacrum, qualem dicemus eſſe *Macchia uelli* Principem qui iniuſtiſſimus eſt, & ſceleratiſſimus, qui ſui ſolius commodi & voluptatis cauſa,rempub.ex haurit, diſſipat, dilacerat, vel inmiſeram redigit ſeruitutem, nonne is reip.inimiciſſimns,Deo diſſimillimus alieniſſimus a natura,& proinde mō-ſtroſiſſimus, atq. infeliciſſimus omnium eſt iudicandus?

2 Præterea cum Deus pro ſua immenſa bonitate Principem ex multis

tis hominum millibus, vnum elegerit, quem ſuo populo præficiat, & ſua hic interris participet maieſtate, imperio, gloria; duo inde ſequantur neceſſe eſt; vnum, in Principe magis requiri veram religionem, ſummamq. erga Deum pietatem, quam inceteris hominibus; Alterum eſt, omnem illam, quam habet poteſtatem, eſſe delegatã, ipſumq. alienæ rei diſpenſatorem &(vt ita dicam) œconomum eſſe, non dominum, imo & totius adminiſtrationis ſuæ rationem, ſuo, & communi omnium Domino, redditurnm, eòq. grauiores luiturum pænas, quò ipſe ceteris hominibus Deo ingratior quò potentior, & humanis legibus minus ſubiectus fuerit.

3 Hòc diſcat *Macchiauelli* princeps ab ipſo Spiritu ſancto, qui illum & ceteros illi conſimiles ita alloquitur: *Audite*, inquit, *Reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ, præbete, aures, vos, qui continetis multitudines,* Sap. 6.

dines & placetis vobis, in turbis nationum, quoniam data eſt a domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniã cum eſſetis miniſtri Regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neq. ſecundum voluntatẽ Dei ambulaſtis; horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet, exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.

4 Sed nunc pergamus ad reliqua; ſi Princeps cum Reip. pars ſit, eandem damni & vtilitatis communionem cum repub. participet, nonne inſanit *Macchiauellus*, cum ſcelus, quod reipublicæ perniciosum eſſe non negabit, principi ſuo vtile eſſe poſſe arbitrẽtur? Quid enim dicendum eſt, cum nobiliſſimæ reip. parti, ipſi ſcilicet capiti, non leuis contagio aſpergitur, ſed certiſſima reip. peſtis, ſce-

ſcelus? nonne inſummo periculo reſp. verſatur vniuerſa? Recte profecto *Plinius;vt* inquit, *in corporibus, ſic in imperio grauiſsimus eſt morbus, qui a capite diffunditur; nec tantum mali eſt,* (inquit Cicero) *peccare principes (quanquam eſt magnum per ſe ipſum malum) quantum illud eſt, quod permulti etiam imitatores principum exiſtunt, nec ſolum vitia concipiunt ipſi* Principes, *ſed ea infundunt in ciues, nec obſunt, quod ipſi ſolum corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt alios & plus* [redacted] *exemplo, quam peccato nocent,* nam vt ait poeta, *totus componitur orbis*

plin.li.4. ep. — *Cicero de leg.lib.3.* — *Claudian paneger. in 4. conſulat. Honorij.*

Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis;
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus,

5 Quamobrem prudenter *Plutarchus; quemadmodum,* inquit, *oportet* *plutar. de doctrina principũ:*

tet

tet, vt ipſa regula primùm recta ſit, nihil habens obliquum deinde cetera ſibi admota, quatenus ſibi congruunt, exæquet, ita princeps, poſteàquam ipſe ſibi imperare potuerit, vitamq. ſuam compoſuerit, tunc debet ſibi applicare eos quibus imperat, non enim cadentis eſt, alium erigere, nec ignorantis, docere, nec incompoſiti, componere, nec ordinare inordinati, nec imperare, eius, qui rationis non pareat imperio.

6 Itaque, vt tandem hunc locum concludam; cum ſceleratus fuerit princeps, neceſſe eſt tam rempub. quam ipſum periclitari, ſiue mali fuerint reliqui ciues, ſiue boni; ſi enim mali fuerint, cum iam non ſolum caput, ſed etiam totum corpus læthali ſceleris morbo laboret, tota ſimul reſp. concidet; ſin autem fuerint boni; quis dubitat eos vel ſceleris odio inductos, vel iniurijs laceſſitos, ſceleſtiſſimum Principem e medio ſublaturos, vt communi omnium ſaluti cõſulant?

ſulant? quo pacto infinitos perijſſe tyrannos ſtatim *d* docebimus; Ita, certiſſimum principi nefario impendet exitium vndecunq. nam vel rempublicam ſuo ſcelere perdet, atq. vnà cum illa peribit, vel ipſe a ciuibus perdetur; vtroq. autem modo dignas ſceleris ſui pœnas dabit.

d *cap. 16. nu. 15. & ca. 12. per totum.*

REMEDIA QVAE Macchiauellus Principis ſui incommodis, periculiſq. adhibet, nulla eſſe, imo malum augere rationibus & exemplis conuincitur?

CAP. VI.

1 SED hoc periculo, inquient politici, noſter princeps facile liberabitur, omnes enim quos ſibi aduerſari, &

E nego-

Digitized by Google

negocium, periculumue faceſſere poſſe ſuſpicatus fuerit, per fas, vel nefas è medio tollet; & interim, quò ab inſidijs tutus ſit, immicitias & diſcordias inter optimates ſeret, muniet & ſtipabit ſe ſatellitum fideliſſimorum cuſtodia, & populum inermem, atq. exhauſtum, ita coercebit præſidiorum metu, exploratorum multitudine, & diligentia, magiſtratuum vigilantia, multiſq. alijs modis, vt contra ſe nihil moliri audeat, nec, ſi auſus fuerit, quidquam poſſit efficere.

2 Hoc autem docet *Macchiauellus*, ſed ineptè; nam principi ſuo ſceleris, tyrannidiſq. venenum infundit, & poſtea antidotum parat; periculum illi creat, incertus, vtrum illum inde eripere poterit; quo, homini politico nihil turpius; cuius eſt, malorum principijs obſtare, & efficere potius, vt non committatur error, quam vt curetur, qui præcluditur facilius, quam expellitur; ingreſſus enim ſtatim ſuū

virus

virus diffundit, & quò latius ſerpit, eò magis inficit, officitque; In noſtra poteſtate erit ignem ſtipulæ admouere, ſed illum reſtinguere, cum voluerimus, minime; atque vt ex parua ſcintilla maxima quandoque excitantur incendia, ita etiam ex minima data occaſione grauiſſima in repub. oriuntur mala.

3 Nonne igitur ſatius multò, & tutius Principi foret, ex naturæ & virtutis præſcripto imperare, ciuiumq. animos beneuolentia ſibi deuincire, quò metu & periculo vacet, quàm tantis ſe irretire difficultatibus, vt *Macchiauelli* egeat remedijs? Quis neſcit virtutis proprium eſſe amorem conciliare, amoris autem, ſeiuncta & ſeparata conglutinare? quamobrem amor recte à quodam definitur, *virtus vnitiua, commiſcens, & concretiua*; atq. amicitię vis in hoc pręcipuè ponitur, vt vnum faciat ex pluribus, quo pacto res quæq. conſeruantur.

S. Hierothe. apud Dionyſ. Areopag. de diuin. nemin. c. 4. par. 1.

Cicero de amicit. 4 Appoſitè quidem *Empedocles* dixiſſe fertur, *ea omnia quæ in rerum r tura, totoq. mundo conſtent, quæque moueantur, contrahi, conſeruariq. amicitia, & diſcordia diſsipari.* hoc, in vniuerſo, in rebuſp. in ciuitatibus, in domibus, & in omni homnium ſocietate perſpicuum eſt; quid enim hominem magis cum homine conſociat quam beneuolentia? quę quò latius patet, & quò plures eodem amoris vinculo conſtringit, eò tutiorem illorum vnumquemq. reddit. Quis enim adeò tutus ſit, ac ille, quem omnes diligāt, & nō minus quàm ſe ipſos ſaluum eſſe expetant? hoc enim efficit amor, vt amans eandem amati habeat curam, ac ſui.

5 Princeps igitur, qui ciues ſuos ſibi amore deuincit, tot habet corporis ſui cuſtodes, quot habet ciues, & quamuis nec ſatellitibus nec pręſidijs munitus ſit, in vtranq. (vt aiunt) aurem ſecurus dormiet, *ſaluum regem*

(inquit

(inquit *Seneca*) *in aperto clementia præſtabit, vnum enim eſt inexpugnabile munimentum, amor ciuium*; quamobrem, antiqui tragici, quoties tyrannum aliquem pereuntem inducebant, illi attribuere ſolebant huiuſmodi voces, *heu, pereo nullis fultus amicis*.

Seneca de clement. lib. 19.

plato ep. 1.

6 At dicet aliquis fortaſſe, *Macchiauellum* hoc non negare, imo velle principem ſuum virùm optimum eſſe, atq. a ciuibus ſummè amari; ita tamem ſtatuere, ſummum ſcelus tunc illi vſui fore, cum non erit optimus, mediamq. illam, quam vocat, viam, inter ſummam virtutem, ſceleriſq. immanitatem, cuiuis principi eſſe perniciosiſſimam; qui enim verecundiæ, & honeſtatis fines ſemel tranſierit, eum cēſet gnauiter impudentem, & ſceleratum eſſe oportere; quod cum non cenſeat ſolum, ſed etiam literis mandet, doceatq. gnauiter impudens eſt, ſceleſtus, & abſurdus, qui propoſita

ſecuritate in ſcelere, principes a regia, vt ita dicã, virtutis via auocat, & abducit, atque per ſceleris præcipitia ad exitium trahit;

7 Sed hæc excutiamus paululum. Itaque, quæro a *Macchiauello*, quare media via illi videtur perniciosa? quia princeps, inquiet, cum non ſolùm recto virtutis tramite incedat, ſed etiam quãdoq. per deuias lubricaſq. vitiorum & ſcelerum ſemitas prolabatur, in odij & periculi foueam cadat neceſſe eſt. Eſto: ex ſcelere itaq. principi conflatur odiũ, ex odio periculum; huic autem malo quodnam adhibet remedium? ſcilicet, vt relicta prorſus virtute, in ſummo ſcelere omnem ſecuritatis ſpem ſitam habeat. os impudens. Hoccine eſt morbo mederi, morbi cauſam nutrire & augere?

8 Quis niſi omnino mente captus ſit, hydropico aquam, vel febre æſtuanti vinum dabit & aromata, vt

morbum

morbum depellat? vel, vt odij flamam ex ſcelere natam extinguat, ſceleris oleum inijciet? ſceleris aquam, inquiet, diceres potius; ſcelus enim flãmam reſtinguet; nam omnes eos à quibus ſibi aliquid timebit princeps, perimet, atq. ita ſecurus erit, *mortui enim non mordent*;

9 Sed nonne delirat, cum hoc dicit? nam quid neceſſe eſt, vt mordeant mortui, cùm, qui ſuperfuerint viui, tyrannum mordere, immo occidere poſſint? mordebunt enim mortuorum vel filij, vel fratres, vel propinqui, vel ſerui, vel amici, quos omnes necare non poterit; mordebit ipſius Tyranni conſcientia, ſceleris ſui furijs exagitata, quæ omnem eius vitam inſuauem ſibi & acerbam reddet, (vt ſuo loco *d* palam fiet) mordebit etiam ſuo tempore diuina iuſtitia (de qua *e* non eſt hic dicendi locus) mordebunt deniq. ſi cetera non curat, omnes eius ciues, & ſubditi

d *cap.15. per totum*

e *vide c. 10.11.& 12. per totum.*

quos a ſe hac ſceleris immanitate abalienabit, ſibiq. efficiet infenſiſſimos; nam *frequens vindicta*, inquit, *Seneca, paucorum odium reprimit, omnium irritat, & quemadmodum præciſæ arbores plurimis ramis repullulant, ita regia crudelitas auget inimicorum numerum, tollendo. hæc ille.*

Seneca de clemen. li. 1. cap. 8.

10 Quid igitur tyrannum ab vniuerſorum ciuium odio vindicabit? *multorum enim odijs*, vt ait *Cicero, nullæ opes, nullæ vires poterunt reſiſtere*, odijs autem omnium multò minus. *Oderint*, inquiunt politici, *dum metuant*, metu enim eorum tenebitur odium, & compeſcetur, ne in principis perniciem erumpat. Itane? nonne augebitur potius? quid enim aliud eſt metus in animo exulcerato, quam vt ita dicam, *vnguis in vlcere*? nam cum tyrannus metum incutit, odium auget, & ſuum tum metum, tum periculum duplicat.

Cicero offic. li. 2.

11 Hoc optimè docet Tragicus.

Qui

Qui ſceptra duro ſæuus imperio regit, Seneca in Oedipo.
Timet timentes, metus in autorem redit.

Hinc etiam ait *Seneca* de tyranno, *Inuiſus eſt, quia timetur, & timeri vult, quia inuiſus eſt, & illo execrabili verſu, qui multos præcipites dedit, vtitur, Oderint dum metuant, ignarus, quanta rabies oriatur, quando ſupra modum odia creuerunt. temperatus enim timor cohibet animos, aſſiduus vero & acer, in audatiam iacentes excitat, & omnia experiri ſuadet. Relinquat oportet ſecuri aliquid metus, multòq. plus ſpei, quam periculorum oſtentet; Alioquim vbi quieſcenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat* Hucuſq. *Seneca*, non minus eleganter quam verè; qui etiam alibi, id ipſius naturæ legi tribuit, *vt multos timeat quem multi timent, nam ita*, inquit, *natura conſtituit, vt, quod alieno metu magnum eſt, ſuo non vacet.* Seneca de clemen. de li. 1. c. 11.

12 Præclare item *Cicero*, vel Cicero offic. li. 2.
apud

pud *Ciceronem Ennius*,

Qem metuunt, oderunt, quẽ quiſq. odit,
--- Periſſe expetit.

Nulla autem vis imperij tanta eſt, quæ præmente metu poſsit eſſe diuturna, quapropter *Ariſtoteles* non immerito odium & metum numerat inter cauſas, quæ tum regnum, tum tyrannidem euertant; his enim impulſi ciues nullum non mouent lapidem, quò ſe metu ac periculo liberent; & domeſticis deſtituti remedijs, quærunt externa; quo pacto plurimos tyrannos a ciuibus ſuis vel caſtigatos, vel regno pulſos, vel interfectos fuiſſe ſatis eſt compertum; nec mirum; cum conſtet, omnes tyrannide & ſeruitute oppreſſos, nihil ardentius cupere, nihil amplecti libentius, quam qualemcumq. ſibi datam facultatem, vel ſui vlciſcendi vel ſe in libertatem vindicandi.

Ariſtot. lib. 5. pa. lit.

13 Id igitur iure optimo dici poterit tyranno, quod *Diogenes* cuidam

dam

dam ex diſcipulis, quem conſpexit in interiores cauponæ partes ſe proripientem, ne ab eo videretur, *quò magis*, inquit, *ibi te abdideris, eò magis eris in caupona*. Ita etiam tyrannus, quò magis his *Macchiauelli* vtetur remedijs, vt a ſe periculum propulſet, in eò maiora incurret pericula, ſeq. eò citius perdet. Quid ita? inquiet politicus, cum tyrannus adeò munitus, & ſtipatus fuerit, vt, quàm volunt licet, illum oderint, nihil tamen contra illum efficere poſſint. *plutar. in li quomodo quis ſuos in virtute profectus ſentire poſſit.*

14 At inſanit certe qui ita cenſet. Quod.n. vi, & aperto marte fieri nequit, nõne id inſidijs, & certiùs, & tutius fiet? atque, vt ea ſit vel exploratorum diligentia, vel magiſtratuum vigilantia, vel tyranni potentia, vt multi id efficere nequeant, quod omnes fieri expetant, nonne a paucis, imo ab vno omnium deſiderio ſatisfiet? *qui enim*, vt ait *Seneca*, *ſuam vitam contemnit, tuæ dominus erit*. *Seneca ep. 4.*

Quid

15 Quid profuere opes, potentia, exploratores, ſtipatores, exercitus, præſidia, *Romulo*, *a Iulioq. Cæſari* à ſenatoribus in ipſo ſenatu interemptis? quid *b Tiberio* Imperatori puluinari ſuffocato? Quid *c Claudio*, veneno ſublato? Quid *d Neroni* per loca ignota fugienti, & aliquem quærenti qui ſibi mortem daret, tandemq. ſibi iugulum præcidenti, atq. exclamanti, *O quam ſerò, & hæc eſt fides!* Quid *e Domitiano* à cubicularijs ſuis occiſo? *f Comodo* à ſua concubina? *g Aureliano* à ſuo ſecretario? *h Phocæ*, ab eo quo vſus fuerat familiariſſime?

plutar in Romulo.
a *Suet. in Iul cæſ.*
b *Idem in Tiber.*
c *Idem in Claud.*
d *Idem in Neron.*
e *Idem in Domit.*
f *Aelius lamprid.*
g *Flauius vopiſcus.*
h *Zonar. Tom. 3. Annal.*

16 Et vt ad recentiora veniam, quid profuere hæc *Macchiauelli* remedia, *Principi Auriaco*, & nuperrime *Henrico* tertio *Galliæ* Regi? quorum ille, in ciuitate munitiſſima, ſatellitumq. ſuorum medio, glande traiectus eſt; hic fortiſſimo ſtipatus exercitu, cultro ſuffoſſus occubuit; in quo

(quamuis non ſit tyrannis annumerandus) id tamen perſpicuum eſt, nullum omnino principem, nedum tyrannum, quibuſuis munitum præſiſidijs, viribuſq. humanis, ab hominum odio & vindicta ſatis tutum eſſe poſſe, cum *Henricum* occiderit armatum inermis, bellatorem imbellis, exercitu cinctum ſolus, virum ſagaciſſimum vir ſiimpliciſſimus, regem deniq. potentiſſimum pauper homunculus. An igitur in o[illegible] bus, præſidijs, ſtipatoribus, cæteriſq. tyrannorum munimentis, ſecuritatis aliquid tyranno eſſe poterit?

17 Sed, vt ab omnibus alijs tutus ſit, quomodo ab ipſis ſatellitibus ſuis ſecurus erit? eos, inquiet politicus, largitione, humanitate, & beneficentia ſibi conciliabit & deuinciet. Itane? Quid igitur tyranno erit infelicius? Quid abiectius? nam vt cęteris iniuſtè dominetur, importunis leuiſſimorum hominum cupiditatibus

Plutar. de doctrina princip. bus inſeruire cogetur; de quo, id dici poterit quod *Plutarchus* de Rege *Perſarum*, quem affirmat omnes pro ſeruis habuiſſe pręter vxorem, cuius ipſe ſeruus erat, cum tamen illi maxime deberet dominari; ſed cum etiam ſatellites blanditijs, promiſſis, & largitionibus corrumpi potuerint, nonne tyranni vita venalis erit?

Seneca de clemen. li. 1. c. 12. 18 Hinc ait *Seneca, armis vallatur tyrannus, vt magno timore magna compeſcat odia, nec tamen illas ipſas manus, quibus ſe commiſit ſecurus aſpicit*. Hæc ille veriſſime; Cuius rei teſtes eſſe poterunt Romani Imperatores *Caius Caligula*, *Pertinax*, *Caracalla*, *Heliogabalus*, *Pupienus*; *Balbinus*, duo *Philippi*, *Emilianus*, & *Gallienus* à ſuis interfecti ſtipatoribus, vt nihil dicam de *Alexandro Seuero*, *Floriano*, *Tacito*, *Macrino*, duobus *Maximinis* Patre & filio, *Probo*, alijſq. a ſuis militibus interemptis. Itaq. nonne hinc liquet quam maſe

Sueton. Spartian. Lamprid. Trebel. pol. Fla. vopis. Iul. capitol. Sext. Aurel. Ioa. Bap. Egnatiſ.

Mac-

Macchiauellus ſuo Principi conſulit, quem a virtute ad ſcelera, à charitate & amore ciuium, ad metum, vim, ſtipatores, & præſidia traducit?

19 Reſtat vt de alio Macchiauelli remedio politicis omnibus probatiſſimo, paucis dicam; nimirum, de diſſidijs inter ſubditos, præſertim nobiliores, potentioresq. fouendis, ne mutua beneuolentia, & amicitia inter ſe coniuncti, facilius cōtra principem coniurent; hinc enim politicis nihil eſt familiarius, nihil in ore frequentius, quam illud tyrannicum axioma, vel præceptum *ſi vis regnare, diuide*, ſiue, vt loquuntur aliqui, *Diuide, & impera*.

20 Sed quis neſcit, tyranni, (vt ita dicam) vlcus, hoc remedio potius recrudeſcere, quam vel ſanari, vel leniri? nam cum amicitia (teſte *Ariſtotele*) ſit reip. vtiliſſima, & maximè neceſſaria, quia omnia eius membra inter ſe, quaſi quodam vinculo, & *Ariſt. lib. 2. politic. cap. 2.*

nodo,

nodo, copulat, & conſtringit (in quo totius corporis ſalus conſiſtit) quemnam ex hoc remedio fructum percipiet princeps, qui reip. caput eſt, niſi vt, cum ciuium amicitiam diſſuat, rempub. (id eſt, proprium corpus) dilaceret; quo pereunte, ipſe ſaluus eſſe non poterit; nam (vt *d* ſupra monui) cum corpore caput, cum rep. pereat princeps neceſſe eſt; nonne enim ex diſſidijs ciuium (præſertim potentiorum, vt rectè obſeruat *Ariſtoteles*) ſeditiones grauiſſimæ, atque inteſtina bella oriuntur, quæ vel maximis, potentiſſimiſque regnis, & imperijs perniciem afferre ſolent? *Non enim alius*, inquit Cicero, *diſcordiarũ ſolet eſſe exitus inter claros, & potentes viros, niſi aut vniuerſus interitus, aut victoris dominatus & regnum*; cuius rei veritatem, nos etiam docuit ipſa veritas (ſeruator, inquam, noſter) cum diceret, *omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*.

d ſuprà cap. 2. nu. 6.

Idem ibidem li. 5.

Cicero de Aruſp. Reſp.

Luc. 11. Matt. 12.

Hoc

21 Hoc teſtantur omnes omnium gentium hiſtoriæ, ex quibus liquet, communem ac præcipuam regnorum, & rerumpub. peſtem eſſe optimatum diſcordiam, cùm nulla ſit omnino reſpub. nullum regnum, cui illa aliquoties grauiſſima vulnera non inflixerit; quamuis nullibi maiores ſtrages ediderit, quam in rep. Romana, quæ continuis, per ſexcentos ferè annos, diſſidijs, & factionibus agitata, clariſſimorum ciuium ſanguine ſæpe maduit, & tandem *Mariȷ*, & *Syllæ*, *Octauiȷ*, & *Cinnæ*, *Pompeiȷ*, & *Cæſaris*, *Antoniȷ*, deniq. *Lepidi* & *Auguſti*, ciuilibus bellis dilacerara, penitus concidit. Sed quid vetera commemorem, cum recentia paſſim ſuppetant huius rei exempla, adeò nota omnibus, & peruagata, vt ſuperuacaneum foret ea percenſere, præſertim, cùm, hinc n tus ſeditionum, tumultuum, & bellorum ciuilium ardor, quo hæc noſtra ætas conflagrauit,

grauit, haud ſatis adhuc deferbuerit?

Ariſt. politic. li. 5. cap. 4. 22 Itaq. nō immerito *Ariſtoteles* ipſis ſeditionū principijs (quæ haud alia plerunq. quam ciuiū diſſidia eſſe ſolent) omni ſtudio, & vigilantia obſiſtendum eſſe monet, ne inualeſcente malo, remedium nimis ſerò adhibeatur. *Et Plutarchus*, ciuilis ſcientię cardinem, ac ſummam in eo ponit, vt princeps, ſiue magiſtratus, non modo ſeditionem commotam ſtatim ſedare, ſed etiam vel minimas eius cauſas præuidere, & tollere ſciat; quam idcirco ſcintillæ aptiſſime comparat, quæ in aliquo fortaſſis domus angulo excuſſa, flammam excitat, qua tota poſteà domus, & deinde vniuerſa ciuitas ardet. Ita enim ſeditio, ex minima quandoq. occaſione (etiam inter priuatos homines) orta, totam tandem permeat, diſtrahit, & diſſipat remp. cuius rei teſtis eſſe poterit inſignis illa olim *Albo_n*, & *Nigrorum* factio, quę totam *Italiam* ſanguine, & cæde

Plutar. de ciuili inſtitutione.

Nauder. chron. generat. 44. an. 1300.

cæde contaminauit, cùm tamen non aliunde nata eſſet, quam ex leui duorum puerorum in *Piſtoia* contentione quæ primùm ad eorum parentes, deinde ad amicos, tum demum ad totam ciuitatem dilatata, per vniuerſam tandem *Italiam* propagata eſt, eamq. miſerimis cladibus affecit. *Tarcagnot. hiſt. par. 2. li. 15.*

23 Itaq. quid aliud *Macchiauellus* ſuum principem docet, quem nobiliorum, potentiorumq. diſſidia fouere ſuadet, quàm, vt domum ſuam inflammet, cuius incendio, ipſe etiam pereat; minimè, inquient politici; id enim præcipuè prouidebit, ſuaq. partim prudentia, partim auctoritate, & potẽtia efficiet, vt ſeditionis flamma, vel non omnino accendatur, vel accenſa ſtatim reprimatur. Sed quis non videt, quàm ſit hoc inſulſum, & ridiculum, (id quod c ſuprà etiam tetigi) nempe, occaſionem mali præbere, eo animo, eaq. ſpe, vt malo poſtea medearis? cùm tamen quem- c Num. 2

nam ex remedio fructum capies, prorſus ignores: vt enim princeps id ſciat, ſibiq. ſecuritatem certò polliceatur, cùm ſe periculo expoſuerit, non dicam humana, ſed diuina oportet ſapientia & potẽtia polleat, qua nõ modo ira tumẽtes hominum animos ſuo nutu temperet, & moderetur, verum etiam rerum euenta, quæ prorſus incerta ſunt præuideat, & de illis, prout ipſe voluerit, ſtatuat, & diſponat.

24 Quid? an ſceleratiſſimus *Macchiauelli* tyrannus, qui vilissimus affectionum, & libidinum ſuarum ſeruus eſt, alienarum adeò dominus erit, vt eas, quò ipſe velit impellere, & vnde velit deducere poſſit? vt eas, inquam, moueat, & ſiſtat, acuat, & retundat, incendat & reſtinguat, cum ipſi libuerit? Quis neſcit, iracundiam (id eſt vindictæ appetitum) in plæriſq. hominun adeò effrænatum eſſe, vt ipſimet, eam nullo modo ſine ſpeciali gratia, & auxilio Dei compeſcere,

ſcere,& cohibere poſſint, quin ab ea, ad quęuis audenda præcipites ferantur?an eã igitur tyrannus,in ſubditis ſuis pro arbitratu coercebit ? imo,an eorum conſilijs, & machinationibus, tum modum,tum terminum præſcribet, tum demum quos ipſe velit ſucceſſus dabit?ni enim hoc efficere poſſit(quod illi quidem impoſſibile erit) à periculo, quod ipſe ſibi ex optimatum diſcordijs creabit,ſatis tutus, & ſecurus eſſe non poterit.

25 Quamobrem *Philippus Comineus* hiſtoricus grauiſſimus, prudentiſſimuſq. illos grauiſſimè redarguit principes, qui optimatum ſuorum diſſenſiones, & immicitias non ſtatim dirimunt, & componunt, ſed nutriunt potius, & augent, *quo nihil*, inquit, *principi pernicioſius eſſe poteſt:* cuius rei duo præclara ſui temporis exempla adducit, vnum ex *Anglia*, vbi diſcordiæ inter duces *ſomerſetenſem*,& *Vvar[illegible]cenſem* a regina *Margarita,* *Philip. Comin de reb geſt. Lodouici vndec.ca. 138.*

garita, Regis *Henrici ſexti* vxore, nutritæ, in eius tandem, atq. adeò ipſius Regis exitium redundarunt. Alterum ex *Gallia*, vbi *Aureliarum*, & *Burgungiæ* Ducum diſſidia, Carolo regi, eius nominis 7. (qui ea aliquandiu fouerat) non minora incommoda pepererunt, quandoquidem *Angli* a *Bur-*
Idē Ibid. *gundiæ* Duce, ad inferendum *Galliæ* bellum ſollicitati, eius ope, *Carolum* nobiliori, & potiori regni parte ſpoliarunt, quam ipſe *Carolus* poſtea, eiuſq. filius, & poſteri ægrè recuperauere.

26 En igitur, qui ſit diſcordiæ inter viros potentes ſeminandæ & alendæ fructus; En quàm pulchra, & ſalutifera tyranno præcepta tradit *Macchiauellus*: quæ, tametſi aliquando non nocuiſſe, vel fortaſſis profuiſſe videantur, ſunt tamen ſemper periculi adeò plena, vt viro politico probari nullo modo poſſint, vel debeant; Cum veræ politicæ ratio, in omni

delibe-

deliberatione ſecuritatem maxime
reſpiciat, atque ideo a conſilijs periculoſis, & minus ſecuris prorſus abhorreat; nec iniuria; Nam *qui amat periculum*, vt ait ſapiens, *peribit in illo*, idq. iuſtiſſimo dei iudicio, cùm quis ſibi, ſua culpa, & ſcelere periculum conflat, tunc enim æquiſſimum eſt, vt *incidat in foueam quam fecit*, & ſuo ſcelere pereat. *Eccleſ.3.* *Pſal.7.*

27 Quid igitur de *Macchiauelli* tyranno dicendum eſt, qui, cùm periculum f[illegible]it, grauiſſimo ſe ſcelere obſtringere non veretur, qui, inquam ſanctiſſimum charitatis vinculum (quo homines, tam cum Deo, quàm inter ſe colligantur) perrumpere non dubitat; quo ſcelere, vix vllum grauius, vel deteſtabilius eſt? *ſex enim ſunt*, inquit, ſapiens, *quæ odit dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem cor machinans cogitationes* *Pro.6.*

peſsimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias. Cùm autem nefarius *Macchiauelli* tyrannus, ſit his omnibus ſceleribus contaminatus, atque idcirco Deo ſummè odioſus, quis dubitet, quin diuinę iuſtitię maximè cōſentaneum ſit, vt (quēadmodum de impio ait Rex pſalmiſta) *comprehendatur in conſilijs, quibus cogitat & in laqueum cadat, quem abſcondit,* id eſt, vt in periculo, cui ſe libens obtulit, inuitus pereat. de his hactenus; alibi enim de diuina in tyrannorum ſceleribus vindicandis, iuſtitia, dicam fuſius.

Pſalm. 9.

28 Sed hic iterum mihi obſtrepet fortaſſe aliquis. (*Ciceronis* & *Solonis* auctoritate nixus, quorum ille dicere videtur, tyrannis non eſſe liberum ad virtutem & iuſtitiam remigrare, nec ſaluos eos eſſe poſſe, ſi ſani eſſe cæperint; hic, ab amicis obnixe

Cicero Tuſc. quæſt. li. 5

rogatus

rogatus vt tyrannidem *Athenienſium*, occuparet, nec alium tamen ob finem niſi vt rerum potitus rectè & iuſtè gubernaret, reſpondit, *Tyrannidem eſſe labyrintho ſimilem, cuius nullus reperiatur exitus*; innuens (vt alicui politico videri poterit) principi, qui dominatum iniuſtè occupáuerit, nullum ad virtutem patere reditum, ſed ſcelera ſceleribus tutanda eſſe, tyrannidemque mordicus retinendam, cum lupum, vt vulgò dicitur, auribus teneat, quem ſi dimiſerit, in ſe quodammodo immittere videtur. *Plutar. in Solone.*

29 Vt ad hęc reſpondeam, hęc dixerunt *Cicero*, & *Solon*, non quòd ipſi ſenſerint omnem tyrannis ad virtutem intercludi viam, ſed quòd tyrannis ita plerunq. videtur, qui etiam hocùm ſint, vt plurimùm, omnium hominum peſſimi, & vera vitiorum omniſq. ſceleris mancipia, adeo ægrè & difficulter a ſua natura, & ſibi inſita morum feritate recedunt, vt è mille

vix

vix vnus, ad ſaniorem mentem redeat, qua re, in tyrannorum conditione nihil *Ciceroni* videtur infelicius nihil miſerius.

30 Præterea *Solonem*, ſumma prudentia virum, non latuit, honores, præſertim male partos, mutare mores ſolere; quamobrem meritò timebat, ne ſi regnandi cupiditati ita laxaret habenas, vt tyrannidem occuparet, haud integrum ſibi foret deinceps, iuſtitiam ſemel a ſe violatam, pro vt deberet, colere, & adminiſtrare; qui enim amiſſa integritatis, & innocentiæ, vt ita dicam, anchora, conſcientię nauem ad tyrannidis ſcopulos ſemel impingit, is non miretur, ſi ambitionis vento in altum delatus, iuſtitiæ, omniſq. virtutis naufragium faciat; ſi tamen Princeps aliquis, dominatu iniuſtè occupato, virtutis curſum ita tenuerit, vt tyrannidem in regnum conuertat, tum ratio, tum exempla docent, eum male parto regno; ſi non legiti-

legitimè, ſaltem minore cum periculo poſſeſſurum.

31 *Ariſtoteles* omnes *Græciæ* tyrannides cito concidiſſe teſtatur, & illarum nullam ſtetiſſe vltra centum annos, eò tamen fuiſſe diuturniores, quò moderatiores, & regno propiores. *Plato*, vtrumq. *Dionyſium* Siciliæ tyrannos, maxime hortatus eſt, vt virtutem iuſtitiamq. amplexantes, ex tyrannis reges fierent, exiſtimans, eos nulla alia ratione ſecuros eſſe poſſe; quod poſtea, tam miſerrima *a* ſenioris vita, quam infeliciſſimus iunioris *b* exitus re ipſa comprobauit.

Ariſtot. polit. lib. 5. cap. 11.

Plutar in Dione.

a vide infrà ca. 9. nu. 4 & cap. 55. nu 6.

b cap. 14. nu. 7.

32 Cum *a* contrà, *Anaxilaus* ex *Siciliæ* tyranno rex factus, neſcio, ſecurior ne vixerit, an glorioſior; dequo ita *Iuſtinus*; *Ex tyrannorum*, inquit, *numero, Anaxilaus, iuſtitia, cum ceterorum crudelitate certabat; cuius moderatio haud mediocrem fructum tulit, quippe decedens, cum paruulos filios reliquiſſet, tutelamq. eorum Micitho,*

Iuſtin. lib. 4.

ſpecta-

ſpectatæ fidei ſeruo, commiſiſſet, tantus amor memoriæ eius apud omnes fuit, vt parere ſeruo, quam deſerere regios filios mallent, principeſq. ciuitatis obliti dignitatis ſuæ, regni maieſtatem adminiſtrari per ſeruum paterentur. Hæc *Iuſtinus*.

plutar. de ſera numi vindicta.

33 Quibus addam id quod teſtatur *Plutarchus* de *Hierone Geloneq.* ſiculis, & *Piſiſtrato Hippocratis* filio, quos ait per ſummum nefas tyrannide potitos, ad virtutem tamen eandem vſurpaſſe, moderatoſq. & populares admodum principes euaſiſſe, necnon *Lidiadem* tyrannum, ciuibus leges reſtituiſſe, ac pro patria contra hoſtes dimicãtem glorioſe occidiſſe.

34 Ex quibus liquet, non modo facile, ſed etiam tutiſſimum eſſe Principi tyranno, a vi ad manſuetudinem à ſæuitia ad clementiam, à ſcelere ad virtutem remeare, quod etiam in *Auguſto* Cæſare, manifeſtum eſt, qui, cum Rempub. armis oppreſſiſſet, ſeque-

Dion. in Auguſto. Seneca de clemen. li. 1. cap. 9.

que tantis deuinxiſſet ſceleribus, flagitijs, crudelitate, vt ab omnibus odio haberetur, & præ metu inſidiarum, nec cibum, nec ſomnum capere poſſet, ſalutari vxoris ſuæ *Liuiæ* conſilio acquieſcens, virtuti ſe totum dedit, tandemq. effecit, vt ab omnibus ſumme amatus, Pater patriæ haberetur; quo pacto, reliquam vitam non minore cum fœlicitate, & gloria, quam ſecuritate tranſegit; cum tamen ex ſucceſſoribus eius quã plurimi, ijſdem quibus ille munimẽtis, præſidijſque, ſed non virtutibus freti, tam vitam, quam imperium legitimè acquiſitum, ſæuitia, & ſcelere perdiderint, vt infrà patebit; *Cap. 12. nu. 6.* nunc enim exemplorum multitudine conſultò ſuperſedeo, vt quædam alia prius expediam. Interim vides, Lector, non immeritò id in prouerbij conſuetudinem veniſſe, *Numquam ſeram eſſe ad bonos mores viam, meliuſq. tardè ſapere, quam nunquam.*

Quid?

35 Quid? inquiet politicus, hoccine eſt ſapere, virtute, & iuſtitia àdeò niti, vt fidas ijs, quos graui aliqua affeceris iniuria? nec illud quidem ego dixerim; libenter enim Tyranno concedam, vt ſemper eos caueat, quos ſemel læſerit, hoc tamen ſi ſe conſeruare velit, ab eo requiro, vt ſceleri, atque inde naſcenti odio, modum conſtituat, curetque, infeſtos inimicorum animos non tam verbis, quam re placare, iniurias factas beneficijs compenſare, iuſtitiamq. adminiſtrãdo efficere, vt intelligãt omnes ipſum non iam tyrãnum eſſe, ſed Regem, nec tam Regem, quam primum Reipub. magiſtratum, legum cuſtodem, bonorum præſidium, malorum vindicem, perfugium miſerorum, communem denique omnium Patrem, quò fiet, vt inimicorum ſuorum odium, vel omnino reſtinguatur vel mitigetur, vel ſaltem adeò comprimatur, vt ſibi à ceteris omnibus

ama-

amato nihil nocere poſſit; plus enim poteſt ad principis ſecuritatem, & ſalutem amor omnium, quam ad eius perniciem paucorum odium; Quomodocunque autem illud ſit, negari non poterit, minus obeſſe vnius odium, quam plurium, paucorum, quam multorum, multorum denique, quam omnium, & qui ab odio vnius, vel paucorum tutus eſſe nequeat, eum à cunctorum odio, (quod cædibus, & ſummo ſcelere comparatur) minus tutum fore.

36 Quantum enim ad ea attinet regiæ dignitatis propugnacula, quibus non modo *Macchiauellus* Tyrannum ſuum, ſed ego etiam optimũ principem muniendum eſſe cenſeo, (ſtipatores, exploratores, exercitus, præſidia, claſſes, prudentium conſilium, magiſtratuum vigilantiam) illa quidem, regum firmamenta haberi poſſunt, & ſunt, dummodo illis non ad tyrannidem, ſed ad iuſtitiam exer-

exercendam, non ad bonos opprimendos, ſed ad malorum reprimendos conatus vti velint, intelligantq. ea omnia niſi ſua virtute, & ciuium amore corroborentur, ſibi ad ſecuritatem parum valitura, vt ex infelici
Num.19. tyrannorum, quos ſupra commemoraui, exitu, ſatis liquet.

37 Sed quamuis hæc, de regni male parti conſeruandi ratione, diſputandi gratia, dixerim (tum vt *Macchiauelli* inſcitiam, malitiamq. patefaciam, tum vt oſtendam, omnem eam, quam princeps habere poterit, ſalutis ſpem, in virtute ſola poſitam eſſe) Lector tamen velim intelligat, id mihi ratum, fixumq. eſſe, nullum omnino principem, quacumque vel potentia, vel prudentia, vel ciuili virtute cõfidat, ſecurum eſſe poſſe, quoad male parta iniuſtè poſſederit, proptereа quòd ſeueriſſimum iniuſtitiæ vltorem Deum (ex quo, tum Regnorũ ſtabilitas, tum regum ſecuritas, feliciſ-

lici-

licitaſq. pendet) ſibi habebit infenſum; hoc autem planiſſimum fiet infra, vbi de diuinæ iuſtitiæ, in ſceleratis principibus vlciſcendis, ſeueritate tractabo. Hic enim extra Ciuitatis, vt ita dicam, muros (ciuilis, inquam, prudentiæ cancellos) non egre dior, quos etiam adhuc parumper mihi terminos circundare libet, dum pauca de ea, quæ in ſcelere videtur ineſſe, vtilitate diſputauero. *Cap. 10. 11. & 12. per totum*

RESPONSIO AD OBIEctionem de vtilitate ſceleris, qua *Macchiauelli*, & Politicorum ſtultitia, bonorum fortunæ mobilitas, vanitaſque, & virtutis præſtantia, ſuauitas, atque vtilitas demonſtratur.

CAP. VII.

1 QVID? (inquiet politicus) cum diuitię, honores, & imperia, (quæ humana natura ſummopere expetit, reſq. vtiliſſimę, & exiſtimantur, & ſunt) ſæpiſſimè acquirantur ſcelere, nonne ſcelus quãdoque vtile eſſe poterit? minimè verò: quod, qui mentis compos eſt, non poteſt non videre. Sed veriſſime philoſophantur ij, qui ſtultitiam dicunt periculoſiſſimum, & peſſimum animi morbum, quæ ita, à ſtupore dicta eſt, teſte *Iſidoro*, quia rationem ſtupefacit adeò, & obcæcat, vt ſuo munere fungi non poſſit, quò fit, vt quamuis in corporis morbis, ratio, cum ſana ſit, de morbi cuiuſque cõditione, & remedio rectè iudicet, de morbis tamen animi, cum ipſa egrotet iudicare nequeat; quamobrem

Iſidor. de Etymol.

Cic Tuſc. q. lib. 3.

rem qui aliquo corporis morbo laborat, is ſe male habere ſciens, vel medicum accerſit, vel ab amicis adductum admittit, atque ita plerumque facillimè ſanatur; Initium enim ſanitatis eſt, ſentire ſibi opus eſſe remedio; ſed qui animo ægrotant, cum ſuum, ipſi non ſentiant malum, imò, vt plurimùm, ſibi, bellè habere videantur, non modo remedium, ſed etiam omne conſilium repudiant.

2 Ita fit, vt in quamplurimis hominibus inſanabiles ſint animi morbi, qui, quamuis varij ſint, & diuerſis vocentur nominibus, vno tamen ſtultitiæ nomine, poſſunt omnes appellari; quocirca, in ſcripturis ſacris, impij ſtultorum fatuorum, & inſipientium nomine frequenter deſignantur; vt in parabola de virginibus fatuis, & prudentibus, & in regio propheta, *dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*, Item alibi, *ſimul inſipiens & ſtultus peribunt*, &

Matt. 25. *Pſal. 52. & 48*

ſtultus vt Luna mutatur.

3 Itaque non iniuria omnes boni à ſtoicis habiti ſunt ſapiētes, Omnes autem mali ſtulti, & à *Platone* omnis *incontinens ignorās appellatur*, atq.(vt ad *Macchiauellu*,& politicos redeam,eorūq.ſtultitiā,patefaciam) *Ariſtoteles*, & *Seneca* non immeritò eos eorumq. ſimiles (qui ſpreta honeſtate, ſummam vtilitatem, fęlicitatemque in honoribus, diuitijs, imperio, corporiſq. voluptatibus ponunt) adeò ſtultos exiſtimant, vt eos pueris comparent, qui crepundia ſua præferunt auro; imò *Seneca* pueros illis ſapientiores eſſe cenſet, propterea quòd pueri circa res viles,minimiq. prætij, & nullius omninò periculi, hi autem circa res cariſſimas, & ſummo cum periculo coniunctas, inepti ſunt, atque idcirco *carius*, inquit ille,*veriuſq. inſaniunt*, dum voluptatum, & vitiorum illecebris capti, atque abducti, omnia iudicant ſen-

Plato. de leg. 3.

Ariſt. Ethic. lib. 10 c.6. Senec.lib. ep.ad Lucil.

Ibidem

ſenſu, & non ratione, ſpecie, non veritate, præſenti denique delectatione, & non vltimo fine: quapropter cum falſa veris finitima ſint, virtutemq. vitia quandoque imitentur, illi, nec à falſis vera, neque à bonis mala, nec ab exitioſis vtilia diſcernunt; Et cum tria ſint bonorum genera, in quibus omnis conſiſtit vtilitas (videlicet bona animi, corporis, & fortunę) ea quę ad animum pertinent, & verè bona ſunt, vel nihili faciũt, vel inuerſo naturæ ordine, poſtponunt corporis, & fortunæ bonis, dicentes cum Satyrico:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm; *Horat. ep. lib. 1. ep. 1*
Virtus poſt nummos.

4 Cum tamen fortunę bona virtute nuda, ne bona quidem dicenda ſint: de qua re pulcherrime *Cicero; Nunquam mehercle ego, neque iſto-* *Cic. paradox. 1.*

rum pecunias, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque quibus maxime aſtricti ſunt, voluptates, in bonis rebus eſſe numerandas duxi, cum viderem homines his rebus circumfluentes, ea tamen deſiderare maximè, quibus abundarent: neque enim vmquam ſatiatur, nec expletur cupiditatis ſitis; neque ea ſolùm quæ habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. nec minus appoſitè *Valerius*, *Caduca*, inquit, *& fragilia, puerilibuſq. conſentanea crepundijs ſunt iſta quæ vires opeſq. vocantur humanæ, affluunt ſubito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona, ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſſimo ſtatu fortunæ, huc atque illuc acta, quos in ſublimè extulerunt, improuiſo recurſu deſtitutos, in profundo cladium miſerabiliter demergunt; Itaque, neque debent exiſtimari neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem, deſiderio,*

Valerius Max. lib. 6. c. 11. in fine.

rio, & cupiditate ſui duplicant; hactenus ille, & veriſſime.

5 Sed, quid, quòd etiam naturam humanam deprauant, & corrumpunt? hoc grauiſſimè monet *Seneca; multum eſt*, inquit, *diuitiarum vſu non corrumpi, atque ille magnus eſt, qui in diuitijs pauper eſt, ſed tutior ille, qui nullas habet*. Quamobrem, *Plato* non aliter fortunæ bona ciuibus ſuis cõmendat, niſi vt animi & corporis bonis, vt ita dicam, famulentur; nec iniuria; nã ſicut corpus animo ſubijcitur naturæ lege, cæteraque omnia mundana ipſi homini, ex animo, & corpore conſtituto, ita ſine dubio, eadem naturæ lege comparatum eſt, vt corporis bona ſint animi bonis poſtponenda, & vt bona fortunæ, ex hijs conflata rebus, quæ homini ſunt ſubiectæ, vtriſq. ſubſeruiant; præſertim, cũ quantùm præſtat animus corpori, atque ipſe homo ceteris rebus quæ illi ſubdũtur, tantùm animi bo-

Senec. ep. 10.

Epiſ. 8. ad Dionyſ.

na,corporis,& fortunæ bonis antecel lant,non ſolum dignitate;verum etiã firmitate, ſuauitate, vtilitate; cum adeò firma,& ſtabilia ſint,vt *nec eripi,nec ſurripi poſſint, neque incendio, neque naufragio amitti,neque vllo aduerſæ fortunæ flatu labefactari,* imò in ipſis rebus maximè aduerſis ſummè eluceſcant.

Cic.paradox.vlt.

6 At fortunæ bona adeò incerta, fluxa, & caduca ſunt, vt infinitis caſibus ſint obnoxia, & omni fortunæ vento diſpergantur, & tantum abeſt, vt humanam mentem expleãt & ſatient,vt illam etiam multis exagitent,crucientque curis, & nouis in dies cupiditatis ardoribus incendãt; Hoc,in diuitijs,honoribus,& cæteris fortunę bonis cernitur; ibi enim diuitiarum cupido eſt, vbi & vſus; & cùm aliarum rerum,quas humana ap petit natura,ſit quædam ſatietas,diuitiarum tamen,nulla eſt;potus ſitim ſedat,& cibus famem pellit, at diuitia-

tiarum cupidinem, diuitiæ non extinguunt,ſed inflāmant; nam *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit*. nec minus effręnatus eſt honoris, & imperij appetitus, quę vt ampliſſima ſint, ſui tamen ſitim non compeſcunt; quò fit, vt humanus animus in illis quieſcere non poſſit. *Iuuenal. 13.*

7 *Xerxes*,inquit *Cicero*, *refertus omnibus præmijs, doniſq. fortunæ, non equitatu, non pedeſtribus copijs, non nauium multitudine, non infinito pondere auri, contentus, præmium propoſuit, qui inueniſſet nouam voluptatem, qua ipſe inuenta,non fuit contentus: neque enim vnquam finem inuenit libido*; at virtus, ſeipſa contenta, cum libidinem coerceat, iram reprimat, cupiditatū reſtinguat ardores, pellat meſtitiam, inanes timores adimat, hominemq. vitiorum ſeruitute ereptum, ſui iuris, & poteſtatis faciat, atque in veram vindicet libertatem, cum denique ſuauiſſimo, quę *Tuſcul. q. lib. 5.*

ſem-

ſemper ſpirat, bonarum actionum odore, vitam hominis perfundat, non ne animum humanum vera afficit voluptate?

8 Quapropter nobiliſſimi Philoſophi, hominis felicitatem, quæ in hac vita haberi poſſit, in virtute, iure collocarunt, quam etiam cenſuerunt eſſe proprium hominis bonum, quod *Seneca* non minus luculenter, quam ſuccinctè ſtoicorum more docet. *Id*, inquit, *in vnoquoque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur; In homine autem quid eſt optimum? ratio; hac antecedit animalia, Deum ſequitur; cætera illi cum animalibus ſatiſq. communia ſunt; recta autem, & perfecta ratio virtus eſt; virtus itaque eſt proprium, & ſummum hominis bonum.*

Senec. ep. 76.

9 Hinc Philoſophi, cętera omnia quæ vocantur bona, & extra hominem ſunt, non ſua, ſed externa, aduentitia, aſcititia, imò & fortunę ludibria,

dibria, ac mendacia ſolebant appellare; hinc omnium ore celebratur illud *Biantis; omnia mea mecum porto.* & *Stilponis* Philoſophi Megarenſis, qui quum *Demetrius* Vrbem ſolo ęquaſſet, ipſumq. percontaretur, an ſuorum quidquam fuiſſet direptum, *Minime*, inquit, *bellum enim ex virtute nulla ducit ſpolia*; & recte. *Virtus enim*, vt ait *Cicero*, *omnia quæ cadere in hominem poſſunt, ſubter ſe habet, eaq. deſpiciens, caſus contemnit humanos, culpaq. omni carens, præter ſeipſam nihil cenſet ad ſe pertinere.*

Plutar. de educand. liberis.

Cic. Tuſc. q. lib. 5.

10 Quis igitur ſatis mirari poteſt politicorum inſaniam, qui cum vtilitatem auidiſſime conſectentur, illam non in virtute indagandã cenſent (in qua eſt omnis vera vtilitas, ſumma ſuauitas, atque huius vitę felicitas) ſed in fortunæ bonis, ijſque ſcelere comparatis, quę honeſtati, & virtuti longe anteponunt; iniquiſſimi certè rerum ęſtimatores, atque

bomi-

homines, vt ait Apoſtolus, *animales*, 1.Cor.2.
inſulſiores ęſopico gallo, qui granum
ordei gemmę prętulit, vel *Eſau*, qui Gen.25.
primogenituram ſuam iuſculi fercu-
lo vendidit; vel *Lyſimacho*, qui vno
aquę hauſtu, florentiſſimum com-
mutauit regnum; nam cum à *Getis* Plutar.in Apophthegma. reg. & princ.
obſideretur, & ſitim ferre non poſſet,
ſe, vireſque ſuas vniuerſas hoſtibus
tradidit, & poſtquam biberat, excla-
mauit, *Heu mihi, qui ob voluptatem tam exiguam, breuemq. tanto excidi regno*.

11 Hoc, politici verius dicere poſſunt, qui non terrena commutant terrenis, non caduca caducis, ſicut ille, ſed cęleſtia terreſtribus, diuina humanis, perituris ęterna, dum emolumēta rerum fallacibus iudicijs intuentur, & non aliter ſtatuunt de vtilitate, quàm beſtię rationis expertes, quę ad ea ſolummodo, quę adſunt, & ſenſus vehementer mouent, quodam impetu feruntur, nihil de futuris cogitan-

gitantes, quę in omni actione ſunt hominis maxime perpendenda; cui id circo natura rationem dedit, non ſolum, vt præſentia cernat, & pręterita, ſed multò magis, vt prævideat conſequentia, & finem pręcipuè, *qui, vt vulgò dicitur, acta probat*, & oſtendit, quę, quantaq. ſit vniuſcuiuſque rei vtilitas. Hunc autem finem, cum politici prorſus negligant, operam perdunt, & oleum, vt aiunt, nam veram, quam tam ſedulò perquirunt, vtilitatem nuſquam inueniunt. Et interim illarum, quas tanti eſtimant, rerum fructum amittunt, quem tamen ex illis vberrimum percipere poſſent, ſi illis vellent potius ad virtutem vti, quam ad voluptates, & vitia abuti; vt autem hoc magis liqueat, de recto bonorum fortunę vſu pauca addere lubet. *Ouid. ep. 2*

VTI-

VTILITATEM BOnorum fortunę in bono eorum vſu conſiſtere oſtenditur ex gloria, diuitijs, & imperijs.

CAP. VIII.

Terent. 1 BONA *fortunæ* (inquit Comicus poeta) *perinde ſunt, vt illius animus, qui illa poſſidet; qui vti ſcit, illi bona; illi, qui non vtitur rectè, mala*: hæc ille, & veriſſime; nam, vt ait *Seneca in rebus non* *Sen. ep. 17* *eſt vitium, ſed in animo ipſo*. Itaque cum omnis bonorum fortunę vtilitas, non in eorum poſſeſſione, ſed in bono vſu conſiſtat; id eſt, non in hoc vt illa habeas, ſed vt illis bene vtaris, cùmque bonus eorum vſus, ex vir-

virtute pendeat, profectò eorum vtilitas etiam ex virtute pendebit; ſed vt hoc manifeſtum fiat, inſpiciamus ea, quæ inter cętera habentur pręcipua, gloriam, opes, imperia.

2 Quis neſcit gloriam (quæ inter fortunę bona primas tenet) non modo non vtilem eſſe ſine virtute, ſed ne eſſe quidem poſſe? cum gloria nihil aliud ſit, quam *conſentiens laus bonorum, atque incorrupta vox benè iudicantium de excellenti virtute*, vt eam rectè definit *Cicero*, qui etiam tria ad eam adipiſcēdam pręcipuè requiri docet, nempe, *vt diligat multitudo, vt fidem habeat, & vt cum admiratione quadam honore aliquem dignum putet*: hęc autem omnia virtus maximè ſuppeditat; Quod autem ad primū attinet, nonne manifeſtum eſt, eam eſſe virtutis vim, vt ipſa per ſe placeat, animoſq. omnium ad ſui amorem alliciat adeò & commoueat, vt in quibus illam eſ- Cic. Tuſc. q. lib. 3. Idem de offic. lib. 2

ſe

ſe exiſtimemus, eos à natura ipſa diligere cogamur? quò fit, vt cum aliæ ſint leuiores diligendi cauſæ, grauiſſima, & maxima ſit, vel virtus, vel virtutis ſaltem opinio.

3 Præterea, quid eſt, quod ad fidem faciendam magis conducat, quam prudentia, cum iuſtitia coniuncta? prudentibus enim fidis & iuſtis hominibus, tum fortunas, tum liberos, tum ipſam ſalutem noſtram libenter committimus; cum nemo ſit tam imprudens, vt perfidis, iniuſtis, improbiſue vllam habeat fidem.

4 Denique, an aliquid eſt, quod admirationem hominum magis excitet, quam virtus? quæ quò maior, & excellentior eſt, eò maiore afficit admiratione. Ita fit, vt eos homines maximè, ſuſpiciamus, atque admiremur, in quibus excellentes quaſdam, & ſingulares virtutes perſpiciamus; eos autem in quibus nihil videamus virtutis, aſpernemur; improbos ve-

ro

ro,& ſceleratos proſequamur odio,& deteſtemur.

5 Itaque, ſola virtus veram parit gloriam,verumq; honorem, quod Romani præclarè ſignificarunt,cùm virtutis & honoris templa coniunctiſſima eſſe voluerint; nec iniuria; nam,*tanquam vmbra corpus, ita gloria virtutem ſequitur*; & nullam poteſt ſocietatem inire cum ſcelere, quo vt primum aſperſa eſt, obſcuratur,ſordeſcit, euaneſcit. Teſtis *Alexander magnus*, qui ab ipſo gloriæ culmine, quò virtute prouectus eſt, ad tantam infamiam & hominum odium per vitiorum præcipitia decidit,vt ex ſuorum inſidijs,interierit. gloria igitur ſine virtute nulla eſt,ergo nec vtilis eſſe,vel dici poteſt.

S. Aug. li. 5. de ciui. Dei.c. 12. Valerius lib.1.c.1. Cic.Tuſc. quæſt. lib. 1.

Plutar. in vita Alexand. Iuſtin. li. 12.

6 Sed q̄d de diuitijs dicā?in quibus aſſequendis, conſeruandis, augendiſq. maximè requiritur prudentia,temperātia,iuſtitia,fortitudo; niſi enim in illis adipiſcendis adſit iu-

 ſtitia,

ſtitia, in diſpenſandis moderatio, & temperantia; in conſeruandis & augendis prudentia, in tuendis deniq. fortitudo, vel non comparantur vel ſtatim amittuntur, vel ſaltem non plus poſſeſſoribus proſunt, quam corpori cibus, qui à ſtomacho malè affecto, vel mox reijcitur, vel non concoquitur retentus, ſed ibi putreſcens, non alit corpus, ſed inquinat, imò & quãdoq. perimit. Hoc verò in dies vſu venit illis, qui vel diuitias iniuſtè accumulãt, vel benè acquiſitas malè adminiſtrant; nam qui rapiunt, vel ſurripiunt aliena, aliorumq; diteſcũt bonis, ij tùm legum pœnis, tùm iuſto hominum odio, tùm vindicta diuina & humana, tùm ſceleris ſui conſciẽtia obſtricti, neſcio, quàm indè capiant, vel voluptatem, vel vtilitatem, niſi quæ ſit maxima acerbitate permixta, & exitum habeat plerumq. infeliciſſimum; nam malè *parta*, vt eſt in prouerbio, *malè dilabuntur*, & *qui*

iniu-

iniuſtè aceruat (teſte Eccleſiaſtico) *is aliјs congregat, & in bonis eius alius luxuriabitur.* Eccl. 14.

7 Prætereà prodigus & inſipiẽs, quamuis ſint ditiſſimi, quem quæſo ex immenſis opibus fructum percipient, niſi vt ipſi in egeſtate, & miſeria conſeneſcant? Quid? an ingentes Theſauri proſunt auaro? *qui*, vt rectè ait *Valerius*, *non poſsidens diuitias, ſed ab ipſis poſſeſſus, nec habendi fructu felix, & quærendi cupiditate miſerrimus, pecuniæ eſt miſerabile mancipium*; cui maius malum optari non poteſt, quã vt viuat diu; nam vt prodigo deſũt plurima, ita auaro omnia. Valer. max. li. 9. c. 4.

8 Quid verò de ignauo & timido dicam? qui diuitias, & fortunas ſuas, (quas præ timiditate & ignauia tueri nequit) ad prædam omnibus proponit; Quid deniq. de infinitis aliјs loquar, quibus diuitiæ non modo non vtiles, ſed etiam exitioſæ ſunt? qui luxus occaſionem, & mate-

riam inde ſumentes, in omne vitiorum genus ſe profundunt, & cum in diuitiarum inopia ſalui eſſe poſſent, earum copia, ſaturitate, &, vt ita dicam, crapula pereunt; de qua re *Ec-*
Eccleſ.c.5 *cleſiaſtes*; *Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole, diuitiæ conſeruatæ in malum domini*. Patet igitur omnem, quæ in diuitijs haberi poterit, vel firmitatem, vel veram vtilitatem ex virtute promanare.

9 Idem etiam de Imperijs, regnis, & rebuſp. ſentiendum eſt; quæ virtute, vel maximè nituntur; ſi enim ab illis tollas prudentiam, ſtatim diſſipantur; ſi fortitudinem, ab hoſtibus proſternuntur; ſi iuſtitiam, inteſtinis diſſidijs, iniurijſq. diſtrahuntur, & lacerantur; cuius iuſtitiæ, ea vis eſt, vt abſque illa nullus hominum cætus
Offit.li.2. (ne latronum quidem, vt ait *Cicero*) conſeruari, nulla reſpublica nec ſtare, nec eſſe quidem poſſit, cuius rei rationem luculenter explicat *S. Augu-*

ſtinus

ſtinus Ciceronis auctoritate nixus.

10 *Rempub.* inquit, *definit Cicero, rem populi, populum autem, eſſe cætũ multitudinis iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociatum. Quid autem dicat iuris conſenſum, diſputando explicat, oſtendẽs geri ſine iuſtitia non poſſe rempub. vbi enim iuſtitia non eſt, nec ius poteſt eſſe; quocirca, vbi non eſt vera iuſtitia, iuris conſenſu ſociatus cætus hominum eſſe non poteſt, & ideo nec populus, & ſi non populus, nec res populi, ſed qualiſcumq. multitudinis, quæ populi nomine digna non eſt; & per hoc, ſi reſpub. res populi eſt, & populus non eſt, qui conſenſu non ſociatus eſt iuris, non eſt autem ius, vbi nulla iuſtitia, procul dubio colligitur, vbi iuſtitia non eſt, non eſſe rempub.* Hactenus S. *Auguſtinus*. *S. Auguſ. Lib. 19. de ciuit. Dei c. 21.*

11 Hoc in Romana repub. ſcelere deformata fatetur, & deplorat Cicero. *Noſtris, inquit, vitijs, non caſu aliquo, remp. verbo retinemus, re au-* *Cicer. de rep. Vide S. Augu. de ciuit. Dei lib. 2. c. 21.*

tem amiſimus. Quare non immeritò veteres ſolebāt dicere, teſte a Plutarcho, ne Iouem quidem ipſum poſſe ſine iuſtitia rectè gerere principatum. Itaque ſi Imperia ſine virtute, nec ſtare, nec eſſe quidem poſſunt, certè ſine illa nec prodeſſe poterunt.

a Plut. de doctrina Principū.

12 Sed dicent politici, ni fallor, (id quod b ſuprà etiā tetigi) tantùm abeſſe, vt hoc negent, vt cenſeant potius rempub. quò meliorem, eò magis Tyranno profuturam. Quid? inquiēt; non ne Dionyſio illi, Tyranni nomine celebratiſſimo, profuit florentiſſimum, & opulentiſſimum Siciliæ regnum, quod ſcelere non ſolùm comparauit, ſed etiam duodequadraginta annos, ſumma cum dignitate conſeruauit, & filio tandem reliquit? minimè verò; quòd hic luce clarius efficiam, vt nunc tandem abſoluam ea, quæ de hac re ſupra inchoata reliqui.

b Supra c. 2. n. 1.

Cic. de natura deorum li. 3.

Supra c. 6. n. 37.

Nul-

Nullam eſſe in Tyrannide vtili tatem, propter ſummum periculum, & pœnam, quæ illi imminet, diuinam & humanam.

CAP. IX.

1 QVæ omninò vtilitas excogitari poterit in Tyrannide, quæ nec affectatur, nec occupatur, nec retinetur ſine ſummo capitis periculo? vt nihil dicam hic, neque de animi cruciatibus, angoribuſq. nec de certa, quã plerunq. affert, pernicie, de qua dicetur *a* poſt. Quis neſcit eos, q̃ nouis rebus ſtudẽt, Tyrãnidemq. affectant, adeò periclitari, vt pleriq. omnes, temeritatis, & ſceleris ſui pænas dent, priuſquam voti cõpotes fiant?

a c. 10. 11. 12. & 15.

2 In tota Imperatorum Romanorum ſerie, à *Iulio Cæſare* in hunc vſque diem, vix viginti numerari poſſunt, qui imperium ſcelere conſecuti ſint (quos etiam ferè omnes infeliciſſimè perijſſe oſtendam, *b* ſuo loco) cum tamèn centum plus minus Tyrannidem affectantes, imperij ſpē vnà cum vita amiſerint; e quibus *Saturninus* à quibuſdam legionibus, quibus præfuit, imperator ſalutatus, ſatis declarauit quæ ſit Tyrannidis, vel affectatæ, vel occupatæ vtilitas, ſecuritaſq. qui milites ita eſt allocutus.

b c. 12. n. 6.

3 *Nunc*, inquit, *commilitones, mihi videor armis gladijſq. minacibus vndiq. circumſeptus, nunc incipio ipſos corporis mei cuſtodes timere, amicos ſuſpicari, omnibus diffidere, poſthac nec cibum, nec ſomnum, cum voluptate capiam, nec vſquam me tutum exiſtimabo, neque ex duce exercitus factum Imperatorem, ſed ex libero ſer*

Flauius Vopiſcus improbo.

uum

uúm, cum deinceps, non quod mihi libuerit, fuerit faciendum, ſed quod voluerint alij, quibus tamen ſatisfacturum me ne ſperare quidem potero; Denique, credite mihi, Commilitones, non tam Imperatorem me à vobis ſalutatum, quàm capite damnatum, certæq. deſtinatum morti exiſtimo. Hæc *Saturninus*. quæ *Vopiſcus* teſtatur accepiſſe ſe ab auo, qui ipſi ſermoni interfuit. Nec *Saturninum* quidem fefellit opinio; nam Imperatoris nomine, potius quàm dignitate, paucos menſes potitus (idque apud ſuos ſolummodò) à *Probo* Imperatore prælio ſuperatus eſt, atque à militibus interfectus. *Idem ibi.*

4 Sed huius rei locupletiſſimus teſtis erit ipſe *Dionyſius* Siciliæ Tyrannus (cuius in præcedenti c capitulo facta eſt mentio) qui *Damoclem* felicitatem eius admirantem, collocari iuſſit in aureo lecto, regijs inſignibus decorari, lautiſſimaſq. illi apponi *n. 12.* *Cic. Tuſc. q. lib. 5.*

poni epulas, atque dum accumberet, fulgentem gladium, equina ſeta appenſum, è lacunari demitti, vt illius impenderet ceruicibus, quem vt primùm conſpexit *Damocles*, adeò exterritus fuit, animoq. conſternatus, vt manum in menſam porrigere non auderet, nec oculos à gladio amouere; quare, exorauit tyrannum, vt abire liceret, quia iam beatus eſſe nollet.

5 Hoc pacto oſtendit *Dionyſius*, florentiſſimum illud vtiliſſimumq. *Siciliæ* regnum, cum tanto terrore & periculo poſſeſſum, ſibi vtile non fuiſſe; Sed de huius *Dionyſij* eiuſque filij infelicitate dicetur *d* alibi; Interim, hic ſtatuimus, à vera regni vtilitate, omne ingens periculum eſſe ſemouendum, *qui enim amat periculum*, vt ait ſapiens, *peribit in illo*.

d cap.14. n.7.

Eccl.c.3.

6 Itaque prudenter *Theopompus Lacædemonum* Rex, vtilitatem regni æſtimauit ſecuritate, & firmitate, cum

cum regiam poteſtatem (electis quin que Ephoris, qui regum quaſi cenſores eſſent) minuit, & eleuauit, atque vxori conquerenti quòd liberis ſuis regnũ relinqueret minus quàm illud à Patre acceperat, reſpondit, imo maius, quia firmius; nec immeritò; nàm cum acerbitatem & ſęuitiam imperij remiſiſſet, vnà cũ odio & inuidia vitauit periculum, cum quo ne legitimum quidem regnum vtile eſſe poſſe exiſtimauit. *Plutar. de doctrina princ.*

7 Quid itaq. de Tyrannide cenſuiſſet, qua nihil periculoſius, nihil deteſtabilius, nihil quod Dei & hominum odium magis acuat & accendat? quod optime, nouit *Lycurgus*, qui mortuo *Polydecte* fratre ſuo, *Lacædemoniorum* rege, cùm ab illius vxore prægnante, atque abortum ſe facturam pollicẽte, tàm matrimonij quàm regni ſpe ſollicitaretur, nullo modò adduci potuit, vt nefariæ mulieris precibus acquieſceret, aut crederet, *Plutar. in vita Lycurgi.*

re-

regnum patricidio,& perfidia acquiſitum,ſibi fore vtilitati.

8 Nec aliter cenſuit *Sextus Pompeius Cnei* filius, qui cum *Antonium* Triumvirum hoſtem ſuum in triremem,pace facta, dataq. fide ad cœnam vocaſſet, atque à *Metrodoro* pirata, inter cenandum, ad aurem interrogaretur, num anchoras vellet ſuccisas, vt totius orbis dominus fieret,reſpõdit,non eſſe ſuum peierare, ratus imperium totius orbis,periurio partum ſibi prodeſſe non poſſe.

Idem in vita Antonij.

9 Idem etiam iudicauit,*Populus Athenienſis* de totius *Græciæ* imperio,cum conſilium *Themiſtoclis*, de incendenda clam *Lacædemoniorum* claſſe, repudiaret,quia ab *Ariſtide* intellexiſſet, id minimè eſſe honeſtũ; populus certè dignus ſuo legislatore *Solone*, qui cùm, orta *Athenis* ſeditione, inter diuites & pauperes, non ſolùm controuerſiarum arbiter, ſed etiam legislator electus eſſet, non

Cicero offic.lib. 3.

Plutar.in Solone.

potuit ab amicis perſuaderi, vt Tyrannidem occuparet, exiſtimans ſe nullum ex re, tàm turpi & inhoneſta, commodum percipere poſſe.

10 Itaq. ſi iſti, hoc de Tyrannidis fructu, natura ſola duce, ſenſerunt, quid Chriſtianis, diuino ductis atque edoctis ſpiritu, ſentiẽdum eſt? Ceteros omittam, vt vnicum *Ferdinandum, Henrici* tertij *Caſtellæ* Regis fratrem, principem, præclariſſimum, *Macchiauelli* principi ſceleſtiſſimo opponam. Ille enim tutor nepoti ſuo *Ioanni* ſecundo, octo menſes nato, à fratre inſtitutus, atq. in publicis Regni comitijs, à *Caſtellæ* proceribus, populoq. obnixè Rogatus, vt relicta nepotis tutela, ipſe regnare vellet, arbitratus eſt omnia regum commoda, perfidiæ nota labeq. maculata, nihil ſibi commodi allatura; quapropter oblatum ſibi regium, cum ipſo regno, titulum, renuit, ſpreuit, reiecit, vnde cognomine iuſti merito

Luc. Marin. Sicul. de reb. Hiſp. lib. 11.

ritò

Reuſner. in opere Genealo. in ſtirpe Legionenſi. ritò cohoneſtatus eſt; *Ferdinandus* enim *iuſtus & honeſtus* poſtea ſemper eſt appellatus.

11 Hanc autem huius iuſtiſſimi Principis integritatem, Deus, poſt aliquot annos, regnis *Aragoniæ* & *Siciliæ* compenſauit,& liberos, nepoteſq. eius ſumma etiam felicitate cu mulauit;nam nō ſolùm plurimorū regnorum acceſſione eos auxit (nempè *Neapolis,Nauarræ,Caſtellæ,*& *Legionis, Luſitaniæ* deniq. atque adeò totius *Hiſpaniæ*) verum etiam eorum imperium ad nouum orbem, & *Antipodas* vſque propagauit. Potentiſſimus enim Rex Catholicus *Philippus* tertius,qui hodie ampliſſimæ *Hiſpaniarum,* & *Indiarum* Monarchiæ habenas moderatur, trinepos eſt huius iuſtiſſimi, & integerrimi Principis *Ferdinandi*, quibus idcirco, illud, quod de iuſto & ſemine eius cecinit pſalmiſta, aptiſſimè conuenit, *potens* *Pſal. 111* *in terra erit ſemen eius, generatio rectorum*

ctorum benedicetur; gloria, & diuitiæ in domo eius, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

12 Sed quæ ſunt, inquiet politicus, illa ingentia pericula, quæ iſti adeò religioſi tantopere timuerunt? Illa quidem ſunt, (vt omnia paucis complectar) pæna diuina, & humana, tyrannorum ſceleri debita; de vtraque pauca diximus ſupra; ſed iam plura dicẽda ſunt; & primùm de diuina; de qua pendet, & fluit altera.

AR-

ARGVMENTIS A NATVra ductis,& exemplis conuincitur Deum hominum ſcelera vindicare, & præcipuè regum.

CAP. X.

Rom. 1. 1 SI ex ſcripturis ſacris non conſtaret, aliquos homines, propter peccata in reprobum ſenſum eſſe traditos, adeòque excæcatos, vt in rebus ad animæ ſalutem pertinentibus, ipſius naturę lumine priuentur (dicente *Iob, ab impijs auferetur lux ſua*) incredibile
Iob. 38. fortaſſe videretur, hominem aliquem inueniri poſſe adeò cæcum, & ſtupiſtum, vt dubitet, vtrum Deus ſit iuſtiſſimus ſceleris iudex, & vindex, cum

Google

cum non ſolùm lex diuina illud paſſim apertiſſimè prædicet, ipſius naturæ inſtinctus moneat, ratio ſuadeat, communis experientia doceat, Philoſophorum conſenſus confirmet, ſed etiam ipſa vniuſcuiuſque hominis conſcientia rei veritatem atteſtetur; quandoquidē nemo eſt adeò profligatus & perditus, quin cōſcientiæ ſtimulos, aculeoſq. quādoq. ſentiat; Illi autem, quid aliud ſunt, niſi quidam, vt ita dicam, præcones diuinæ iuſtitię, qui hominem ſceleris reum citant? quorum vocem, cum audit mens ſceleris conſcia, angitur, cruciatur, timet, horret.

2 Hinc *ſapiens* appellat nequitiam *timidam*; hinc ait I*ob* de ſcelerato, *vndiq. terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius, & ſonitus terroris ſemper in auribus eius*; hinc exclamat Poeta, *O cæca nocētum conſilia! O ſemper timidum ſcelus!* Sed quid timet ſceleſtus? nonne pænam ſcele- *Sap. 17.* *Iob 16. et 15.* *Statius 2.*

ſceleri ſuo debitam? Qui enim timet, malum aliquod timeat neceſſe eſt; nam *metus*, vt ait *Cicero, eſt opinio impendentis mali*, vel, vt ait *Plato, mali futuri expectatio;* Illud autem malũ, rationem pœnæ peccati habere, vel hinc liquet, quòd timor ille, & cęteræ perturbationes, quæ illum comitantur, ex culpæ conſcientia oriuntur, tùm ratione, tùm natura docente, omnem culpam ſuam mereri pœnam, quam naturæ author à quouis impio ſuo tempore repetet.

Cic. Tuſc. 9. lib. 2. Plato in Sophiſta & Lachete.

D. Tho. 4. d. 36. ar. 2. ad 2. & 3.

3 Huius rei non leue argumentum eſt, quod potentiſſimi & flagitioſiſſimi Tyranni, qui ab omni humana vltione immunes ſe exiſtimauerint, propriç tamen conſcientiæ teſtimonio cõuicti, diuinam vindictam naturæ impulſu adeò timuerunt, vt vel ad minimum cæli murmur trepidarent; quod de *Tiberio* & *Caio Caligula* teſtantur authores. *D*e hoc hominum genere ait *Satiricus*.

Suoton. in Tiberio & Caligula.

Hi

Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent. *Iuuenal. Satyr. 13.*
Cum tonat, exanimes, primo quoq. murmure cæli,
Non quaſi fortuitò, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.

4 Vnde autem hoc? hinc nempè, vt teſtatur S. *Chryſoſtomus*, quòd in ipſa mēte humana tribunal quoddam à natura conſtitutum eſt, vbi vnuſquiſq. ſui ſceleris eſt index, teſtis, & iudex, vt cū ipſe propriȩ culpæ conſcius, ſe ipſum capitis condemnet, pænam ſibi poſteà à naturæ authore inflictam iuſtiſſimam eſſe agnoſcat. *S. Chryſoſt. concio. 4. de Lazaro.*

5 Quid? nonne etiam conſtans populorum omnium conſenſus (qui teſte *Cicerone vox eſt ipſius naturæ*) *Romanorum, Græcorumq.* ſacra, expiationes, fulminum procurationes, & *Cic. Tuſ. quæſt. lib. 1.*

omnium gentium (quacunq. fuerint religione imbutæ) ſacrificia ? quorſum, inquã; vel inſtituta, vel vſurpata ſunt?nonne inter cætera, ad diuinum numem placandum, ne ab hominibus ſcelerum pænas ſumeret? vnde verò in omnium vbiq. populorum animos, hæc fluere & illabi potuit opinio, niſi ab ipſo veritatis fonte natura? quod enim omnibus eſt commune, id à natura proficiſci perſpicuum eſt; ſi autem à natura; nec falſum nec inane eſſe poterit.

6 Huc accedat exploratiſſima diuinæ in ſceleratos vindictæ experientia, non à ridiculis poetarum, vel anicularum fabulis orta, nec à futili leuis vulgi opinione nata, nec ab ambiguis fallacibuſq. Sophiſtarum argumẽtis ducta, ſed grauiſſimo ſapientiſſimorum Philoſophorum nixa iudicio, fideliſſimorum hiſtoricorum comprobata teſtimonio, & quotidianis denique confirmata exemplis;

quæ

quæ omnia, certiſſimè docent, Deum iuſtiſſimum eſſe humani ſceleris, tum iudicem, tum vltorem; in qua re illius prouidentia, rerumq. humanarum cura maximè perſpicitur, vt rectè obſeruat *Ioſephus* in calamitoſa morte *Catulli Libyæ* Præſidis, nequiſſimi Tyranni. Cum autem ea ſit diuinæ iuſtitiæ ratio, ea ſeueritas, vt nullum omninò peccatum, ne verbū quidem ocioſum, impunitum relinquat, nunquam magis elucere ſolet, quam cum ſceleratos Reges Principeſq. caſtigat, ſiue pænæ genus, ſiue nouitas, ſiue acerbitas, ſiue omnium de ea ſpectetur iudicium. *Ioſeph. de bello Iudaico. lib. 7. c. 31.*

7 Huius rei teſtis eſt *Pharao Aegypti* rex, qui Dei populum fugientem perſequens, vnà cum vniuerſo exercitu maris fluctibus obrutus eſt. *Exod. 14.*

8 Teſtis eſt *Nabuchodonoſor* à regali ſede, ſummaq. potentia, ad ferarum paſtum & cōuictum deiectus; qui priſtinæ dignitati tandem reſti- *Dan. 4.*

tutus, diuinum quod in ſe ſenſerat, iudicium agnoſcens, *glorifico* inquit, *regem cæli, quia omnes viæ eius, iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare*.

Paralip. c. 26. 9 Teſtes *Ozias* & *Ioram* Reges *Iudæ*, ille fædiſſima lepra, hic inſanabili alui languore à Domino percuſſus; è quibus hic, viſceribus paulatim 4. Reg. 9. effuſis, *mortuus eſt* (inquit hiſtoria ſacra) *infirmitate peſſima*.

2. Math. 9. 10 Teſtis *Antiochus* Tyrannus, qui inuiſibili plaga à Deo accepta, & ſcaturientibus è corpore ſuo vermibus, cũ carnis ſuę vndiq. diffluentis fœtorem ferre non poſſet, confeſſus eſt *iuſtum eſſe Deo ſubÿci, & mortalem paria Deo non ſentire*.

11 Teſtis *Herodes Agrippa*, de Act. 12. quo ait ſcriptura, *confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo, & conſumptus vermibus expirauit*.

Socr. hiſt. li. 3. c. 17. 12 Teſtis *Iulianus Imperator* ne-

nequiſſimus Apoſtata, qui tranſfixus telo, vel ab angelo, vel, vt alij ſentiunt, à Sancto *Mercurio*, diuinam in ſe vindictam agnouit, exclamans, *vicisti Galilaee*, ita enim Christum Saluatorem noſtrum appellare ſolebat.

Theodor. lib. 3. c. 20. Paul. Diac. lib. 13.

13 Teſtis *Leo* quartus Imperator *Iconomachus*, qui cum coronam auream pretioſiſſimo carbunculo ornatam, ex Sanctæ *Sophiæ* altari ſuſtuliſſet, eamq. per totam *Costantinopolim*, triumphantis more, capite geſſiſſet, dignas ſacrilegij pęnas dedit, naſcente ſubitò in capite eius vlcere teterrimo, carbūculo dicto, cuius vehementi dolore in febrem primùm, & deinde in furorem coniectus, poſt paucos dies, ſacrilegam animam exhalauit.

Zonar. Annal. to. 3. Egnat. in Epitome. Baron ex Theophane an. 780.

14 Teſtis *Popielus Poloniæ* Rex, dilaniatus à muribus, vnà cum vxore ſua ſceleris conſorte, qui mures prodierunt è ſepulchris fratrum ne-

Hiſt. prodigioſa parte 1. cap. 3.

potumque eius quos nefariè occiderat.

Dubrauius. Hiſt. Boem. 15 Teſtis *Boleslaus* etiam *Poloniæ* Rex; qui ſanctum *Stanislaum* Epiſcopum, propria manu interfecit; hic enim à ſuis ſubditis regno eiectus, & paulò poſt furore correptus, dum per ſiluas vagus erraret, à canibus diſcerptus eſt.

Idem ibi. 16 Teſtis *Drahomira Vratislai Boemiæ* ducis vxor, quæ, *Ludimillæ*, ſanctiſſimę fęminę, plurimorumq. ſacerdotum ſanguine contaminata, dehiſcente terra, vnà cum curru quo vehebatur abſorpta eſt; cuius rei apud *Boemos*, iuxta Ciuitatem Pragẽſem, viſenda adhuc extant monumẽta; multos deniq. prętereo, vt, vnam ſolummodò hiſtoriam, ſempiternam memoria dignam, ex P*etro Cluniacenſi*, authore grauiſſimo, ipſius verbis referam.

Petrus Cluniac. lib. 2. mirac. c. 1. 17 *Cum Comes Matiſconenſis (inſignis ſacrilegus) ſolemni die,*

Ma-

Matiſconi, in palatio proprio reſideret, cumq. multitudo, tàm militum, quàm diuerſi ordinis circumſtarẽt, repente ignotus homo, equo inſidens, per palatij oſtium ingreſſus, omnibus conſpicientibus, & admirantibus, vſq. ad ipſum equitando peruenit, cumq. ei aſtaret, ſe ei velle colloqui dicens, vt ſurgeret, & ſequeretur, non tàm monuit, quàm imperanit. Ille verò inuiſibili potentia conſtrictus, nec iam reſiſtere valens ſurrexit, atque vſq. ad oſtium domus proceſſit; vbi equum paratum inueniens, eumq. ab eo conſcendere iuſſus, aſcendit; cuius ſtantis habenas ille arripiens, ſtatim cum velociſſimo curſu per aera ferri cunctis conſpicientibus cæpit; cùmq. immenſo eius clamore, & miſerabili eiulatu, tota ciuitas commota, ad tàm inuiſum ſpectaculum concurriſſet, tamdiu per aera currentem attoniti conſpexerunt, quamdiu naturali oculorum acie eum ſubſequi potuerunt; qui, cum eum diu, ſuccurrite

te ciues, ſuccurrite, vociferantem audirent, nec iuuare valerent, ſubtractus tandem viſibus hominum, æternus, quemadmodum meruerat, eſt factus ſocius Demoniorum; Hactenus ille.

18 Quid plura? huius rei teſtes eſſe poterunt, inſigniores quiq. Tyranni, qui cum fuerint ſceleratiſſimi, iuſto Dei iudicio ferè omnes infeliciſſimè perierunt, quod diuina prouidentia iuſtitiaq. effectũ eſſe, & non fortuitò, aut caſu accidiſſe, vel hinc liquet, quod quę caſu fiant, ea rarius eueniunt, & cauſam habent adeò incertam, & incognitam, vt experientiam gignere non poſsint; at infelix tyrannorum exitus adeò frequens, & communis eſt, et cauſa illius (quę eſt diuina iuſtitia) adeò certa, & explorata, vt ad eas res, quę in uſu, et experientia verſantur, iure optimo referri debeat.

19 Quare veriſsimè de tyrannis Tragicus.

Quo-

Quota pars moritur tempore fati?
Quos felices Cinthia vidit?
Vidit miſeros abitura dies
Rarum eſt felix idemq. ſenex.

Seneca in Hercule Oeteo.

Item alius non inſuauis Poeta.

Ad generum cereris ſine cade, & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte Tyranni.

Iuuenal. Saty. 10.

Vt autem clarius fiat, hoc Dei prouidentiæ & iudicio tribuendum eſſe, oſtendam, non homines ſolùm, ſed etiã omnes alias creaturas, in peccatis hominum vindicandis, eſſe diuinæ iuſtitiæ miniſtros.

Deum

Deum habere tot iuſtitiæ ſuæ miniſtros, ſceleriſq. vltores quot habet creaturas.

CAP. XI.

1 CVM Deus, vniuerſi non ſolùm conditor, & effector, ſed etiam monarcha, legislator, iudexque ſupremus

Pſal. 96. ſit, (cuius *ſedis correctio eſt iuſtitia, & iudicium*) eam iuris & æqui rationem habet, vt, ſi quando iuſtitia humana in re aliqua deficiat (vel quia homines illam adminiſtrare nolint, vel quia non poſſint) ipſe ſuam exerceat.

2 Attamen, cum illius magis ſit proprium dona, & beneficia elargiri, miſereriq. & parcere, quam ſupplicia ſumere, non conuenit, nec immenſæ

eius

eius bonitati (vt ait *Philo.*) neque maieſtati, vt ſupplicij ſententiam, quam in impios tulerit, ipſe etiam per ſe exequatur (quod ne minimo quidem inter homines principi, vel Iudici conuenire videtnr) quapropter, creaturarum ſuarum opera ad illud vti ſolet, non angelorum ſolummodò & hominum, ſed animalium, etiam ratione carentium, eorumq. aliquando viliſſimorum, imò & rerũ inanimarum, ignis, aeris, aquæ, terræ, vel cuiuſcunq. alius creaturæ.

Philo. de plãtatione Noe. Idem de ſacrificio Abelis et Caim.

3 Quod autem ad homines ſpectat, hij varijs modis, diuinæ iuſtitiæ miniſtri ſunt; Aliqui, publica poteſtate præditi, vt principes & magiſtratus, de quibus dicit Apoſtolus, *ſunt miniſtri Dei vindices ad iram, ei qui malum agit*; Aliqui vero, ijdemq. priuati, diuinæ gloriæ ſtudio commoti, vt *Phinees*, qui occidit Iſraelitam, ſtuprum cum ſcorto madianitide faciẽtem; Alij autẽ, quamuis

Rom. 13.

Num. 25

Ba ron. an. 451. uis nulla erga Deum pietate ducti, volentes tamen, & exiſtimantes ſe *Paul. Diac. lib.* 15 à Deo ad illud moueri & impelli, vt *Naucler. chron. an.* 1400. *Attilas*, & *Tamorlanus* quorum alter ſe *iram Dei*, alter ſe *Dei flagellum* nominauit.

4 Alij etiam aliquando non volentes & fortuitò, quod docet ſcriptura ſacra; in lege de homicidis nõ *Exod.* 21. voluntarijs, dicens; *quòd ſi non volẽs fecit, ſed Deus eum in manus eius tradidit, dabo tibi locum quò homicida fugiat*; His etiam aſſcribendi ſunt alij, qui ſuis intenti negotijs, & de diuina nec cogitantes, nec omninò laborantes voluntate, eam tamen inſcij exequuntur, vt *Nabuchodonoſor* *a* 2. *Paral.* 36. in expugnatione *a Hieruſalem*, & *b* *b Ezech.* 29. *Tyri*, qua ratione Deus non ſolùm appellauit illum *c ſeruum ſuum* (cum *c Ierem.* 25. tamen Idololatra eſſet) ſed etiã tàm illum, quàm milites eius *Aegypti* ſpolijs remunerauit; *Dabo*, inquit Deus *d Ezech.* 29. per *d* Prophetã, *Nabuchodonoſor regem*

gem Babylonis in terra Aegypti, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui eius, & operi quo ſeruiuit aduerſus Tyrum, & paulò poſt, *dedi ei terram Aegypti pro eo quod laborauerit mihi.*

5 O immenſam bonitatem Dei, qui operam ſibi à rege impio, nec opinante quidem, datam adeò munificè compenſauit! Quid ergo faciet Regi pio ſibi verè, & ex animo ſeruienti? qua illum honoris, glorię, opum, regnorum acceſsione cumulabit? Sed reliqua perſequamur.

6 Eadem etiam ratione Deus nuncupauit Regem Aſſyriorũ *a virgam furoris ſui*, ac *baculum ſuum*, & *b* Cyrum *Chriſtum, ac paſtorem ſuũ*, cũ tamẽ de hoc dicat, *vocaui te nomine tuo, & non cognouiſti me*, de illo autem, *in manu eius indignatio mea eſt, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei; ipſe autem non ſic arbitrabitur, et cor eius non ita*

a Eſa. 10

b 44. & 45.

aeſti-

æſtimabit, & alibi dicit ſe illum in ignem proiecturum; quia cum virga ſua eſſet, *eleuaretur contra eleuantem ſe*.

Ibid. c. 10

7 Sed cum homines ſceleratiſſimi alios ſceleratos interimunt, vel ſibi factas iniurias vindicantes, vel aliena appetentes imperia, ſeque ſummo inquinantes ſcelere, nonne etiam diuinæ iuſtitiae miniſtri ſunt? quid ni? nam, quemadmodum prudens pater familias, ſæuiſſimi canis ferocitate & fame, ad familiæ vtilitatem, & medicus hirudinis ſiti, ad ægri ſalutem vtitur, (quamuis illa animalia nihil aliud in animo habeant, niſi vt famē, & ſitim expleāt) Ita ſāpientiſſimus ille mundi moderator, & rector, (cuius prouidentia c *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, qui qua eſt bonitate, d *non ſineret malum niſi ex malo ſciret elicere bonum*, qui e *Joſephi* fratrum inuidiam, malitiam-

c Sap. 8.
d Augu. de correptione, et gratia c. 10. & 12 & in Enchiridio c. 27.
e Geneſ. 37. & 46

litiamq. ad maximum, tùm illius, tum ipſorum commodum conuertit, & per execrandam *Iudæ* proditoris perfidiam, humano generi ſalutem impertijt) ille, inquam, iuſtiſsimus ſcelerum iudex,& vindex Deus, impiorum hominum malitia, ad ſua iudicia in impios exequenda vti ſolet, vt, dum illi ſuę effrenatę cupiditati libidiniq. ſatisfacere ſatagant, ab alijs impijs debitas exigant pęnas; nec iniuria; cum ęquitati maximè conſonum ſit, vt ſicut peccatū quandoq. peccati pęna eſt, (*teſte D. Gregorio*) ita per peccatorem peccator, & per nequiſsimum nequiſsimus puniatur; Sed hoc illuſtremus exemplis. *D. Greg. in Ezechiel lib. 1. Ho. 11.*

8 Cum *Sennacherib Aſſyriorum* rex *Iudæis* bellum inferret, & ingēti fretus exercitu, diuinam non modò contemneret, ſed etiam blaſphemo ore læderet maieſtatem, *Ecce*, inquit Dominus *Ezechiæ*, per Prophetam *4. Reg. c. 19 & Ioſeph. Antiq. l. 10 & Beroſus a Ioſepho allegatus.*

reuertetur in terram ſuam,& deÿciam eum gladio in terra ſua; hanc autem, quam illi Deus comminatus eſt, pœnam, ab eo poſtea, nefando parricidio repetierunt ipſius filij, dum in templo *Neſrac* Deum ſuum adoraret.
Ibid.
Dan. 5. 9 Mitto hic *Balthaſarem* Chaldæorum regem, ſacra templi Hieroſolymitani vaſa profanātem, & *Nadabum, Helamum*, atq. alios *Iſraelis* reges ſchiſmaticos, à Deo, vt ita dicam, capite condemnatos, & à peſſimis hominibus, qui eorum regnis inhiabant, ſupplicio affectos; hæc, inquam, atque alia plurima huius rei exempla, quæ ſacra hiſtoria ſuppeditat, prætereo, vt ex profana vnum, vel alterum ponam.
3. Reg. 15. & 16.

10 Imperante Conſtantinopoli *Mauricio* ſchiſmatico(qui *Ioannem* Patriarcham Conſtātinopolitanum, à Romanæ Eccleſiæ obedientia deficientem, ſua auctoritate fulciuit) apparuit ipſa meridie, & frequente fo-

Digitized by Google

ro,vir quidam monachali habitu indutus, qui gladium quem manu tenebat,vibrans, *hoc*, inquit. *ferietur Mauritius*,quo dicto diſparuit. Prætereà, ipſe *Mauritius* in ſomnis vidit ſe,& *Conſtantinam* vxorem, cum filijs,& filiabus,atq. omni cognatione ſuâ,tradi *Phocæ* militi gladio percutiendum, cumq. euigilaret, & neminem *Phocam* dictum cognoſceret,interrogauit *Philippicum* generum ſuum, numquid aliquem in exercitu *Phocam* audiuerat vocitari; qui reſpondit, vnum ſe *Phocam* noſſe,qui nuper in exercitu eſſet conſtitutus procurator, ætate quidem iuuenem, & temerarium, ſed timidum; Si timidus eſt,inquit *Mauritius*,profectò & homicida; Non ita multò poſt,iſte *Phocas* ſollicitato,& corrupto milite, tyrannidem occupauit,ac captum, vnà cum vxore & liberis,*Mauritium* capite plecti iuſſit, quòd ipſe iuſto Dei iudicio ſibi contigiſſe agnouit,

Blondus dec. 1 lib. 8. Sabellic Aenead. 8. lib. 5. an. 605. Zonar. to. 3. annal.

moriturus, magno cum merore animi & pænitentia dicens, *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

Pſ. 118.

11 Sed aliud habemus huius rei exemplum, non minus præclarum, in *Alphonſo Neapolis* Rege, ad quem caſtigandum Deus opera, & potentia *Caroli viij.* Regis Galliæ, vſus eſſe videtur, quandoquidem Rex ille iuuenis, tàm conſilij, quam pecuniæ inops, bellum maximum, & periculoſiſſimum ſuſcepit, reclamantibus prudentioribus ſuis conſiliarjs, illudq. ita feliciter confecit, vt cum Cæſare dicere poſſet, *veni, vidi, vici*, inimicis ſuis, vel vltrò ſe dedentibus, vel fugientibus præ timore, ipſo præſertim *Alphonſo* Rege, cuius cõſciẽtia ſatis manifeſtum ſibi dedit teſtimonium, gallos ad ſuam impietatem vindicandam, à Deo miſſos eſſe; cum ipſe, ſceleris ſui conſcientia perterritus, non ſolùm plurimorum procerum, quos iniuſtè occidi fecerat, ſpectra videre

Philip. Comin. in Carol. 8. c. 18. Guicciard. li. 1

videre ſibi viſus ſit, ſed etiam audire, homines, domos, arbores, ſaxa, cæteraq. omnia *Galliam, Galloſq.* clamitantia; quamobrem, cum *Carolus* regni Neapolitani fines vix dum attigiſſet, in *Siciliam* aufugit, vbi monaſticam degens vitam, paucis poſt menſibus, luctu, angoribuſq. confectus, miſere contabuit.

12 Itaque nonne ex his liquet, Deum eſſe ſceleratorum Principum iuſtum iudicem, pænarum verò exactores, ipſos homines, vel neſcientes quandoq. vel non aduertentes; neç mirum; cùm cæterę omnes creaturæ ſint etiam impiorum vltrices, & vindices. *Sunt* enim, teſte eccleſiaſtico, *Spiritus ad vindictam creati, ignis, grando, fames, mors, beſtiarum dentes, & ſcorpÿ, & ſerpentes, & Romphæa vindicans in exterminium impios.* Eccl. 39.

13 De *Pharaone* populoq. Aegyptiaco ſupplicium ſumpſerunt ranæ, muſcæ, locuſtæ. De *Ieſabele* canes; Exod. 7. 8. 9. 10. 4. Reg. 9.

de regibus *c Herode* & *d Antiocho* vermes;de *Sylla* Tyranno pediculi; de *f Memprició* Britannorum rege, lupi; de *g Baſilio* Imperatore Conſtantinopolitano hæretico ceruus; de *h Hatone* Epiſcopo Moguntino,mures & ſorices, idq. iuſtiſſimo Dei iudicio, quia ingraueſcente fame, plurimos pauperes domo incluſos combuſſit, dicens, eos in annonæ caritate non magis vtiles fore reip. quam mures,ac ſorices, qui frumentum abſumerent.

c act. 12. d 2. Mach. 9. e Plutar. in vita Syllæ. f Polidor. lib. :. hiſt. Angl. g Zonar. Annal. 10. 3. h Marian. Scot & Genebrar. chronic. anno 970.

14 Quid? an à rebus inanimis immunes eſſe poteruut ſcelerati,quin & ipſæ ab eis pænas repetant? ex infinitis pauca tangam.Igne perierunt, *Nadab, Abiu, valenſq.* Imperator Arrianus; aqua *b Pharao*, *Maxentius* tyrannus, & *Fredericus* primus ſchiſmaticus; terra dehiſcente, *c Core,Dathan,*& *Abiron*; fulmine, *d Anaſtaſius* Imperator hæreticus, Imbribus denique, vento, grandine, &

Leuit. 10. Paul. Diac. lib. 12. b Exod. 14. Sext. Aurel vict. pero mexia in Federico. c nu. 16. d Zonar. Annal. 10. 3.

tem-

tempeſtate *4000. ſacrilegorũ Xerxis militum*; de qua re pulchre *Iuſtinus*, qui illam refert hiſtoriam, *quãtò grauior*, inquit, *offenſa Dei eſt, tantò nullæ ſunt aduerſus Deum vires*. Iuſtin. lib. 2.

15 His addi poſſent infinita incendia, diluuia, terræ hiatus, motuſque, peſtis, fames, ſerpentum feritas, immanitaſq. & alia huiuſmodi ſcelerũ flagella, quibus vniuerſas quandoq. vrbes, addo prouincias, ob hominum peccata deletas legimus, vt verè cum Propheta dicere poſſimus, *væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequã, filÿs ſceleratis*. Iſa. 1.

16 Sed hæc breuiter percucurri, vt non ſim multus in re manifeſta, & tamen *Macchiauellum* ſummæ dementiæ conuincam, cum cenſeat ſuo Principi flagitioſo vtile eſſe poſſe ſcelus, cuius ſeueriſſimus ſit iudex Deus, vindices verò, non ſolùm homines, verum etiam animalia, & elementa, imò cuius tot ſint punitores,

tot vltores, quot ſunt Dei creaturæ.

17 Ex quo ſequitur, inſanire eũ cum confidat, ſe, ſuum Principem, non cum hominibus, ſed cum ipſo Deo bellum gerentem, tutum & ſecurum reddere poſſe; quamuis enim potentiſsimus fuerit, ditiſſimuſq. & fortiſſimis præſidijs, infinitis ſtipatoribus, & exploratoribus, omni deniq. conſilio, vigilantia, & prudentia humana, vndecumq. munitus & vallatus, illetamen *dominator omnium Deus, qui non veretur magnitudinem cuiuſquam, qui balteum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum, qui effundit deſpectionem ſuper* Principes, *& errare facit eos quaſi ebrios*, ille, ille inquam Deus, *maxillas eius freno conſtringet, & ponet circulum in naribus eius, atq. in labijs eius chamum*, efficietq. vt pediculus, vel vermiculus aliquis, omnem eius potentiam, & ſuperbiam proſternat.

Iob.12.

4.Reg.19. Iſa.37.

18 Itaque minimè mirum eſt, omnes

omnes ferè principes, qui imperia ſcelere vel conſecuti ſunt, vel retinere voluerunt, peſſimè interijſſe; Cuius rei, tanta in omni hiſtoria occurrunt exempla, vt ſi illa non viderit *Macchiauellus*, ſumma fuerit cæcitate, ſi autem viderit, & diſſimulauerit inaudita malitia. Quamuis igitur ſingula percenſere, nec inſtituti mei, nec propoſitæ breuitatis ratio ſinat, ex innumeris tamen aliqua ponã, vt quæ ſit imperij malè parti, ſceleriſq. vtilitas, perſpicuum fiat.

Exempla diuinæ vltionis in eos qui iniuſtè rerum potiti ſunt, vel tyrannicè imperarunt.

CAP. XII.

Tit. Liu. Dec. 1. lib. 1.

1 POST *Romam* conditam, ſeptem fuere *Romanorum* Reges, quorum primus, *Romulus*, fratris ſui parricidio, virginum raptu, & regis *Tatij* ſoceri ſui ſanguine, fundamenta Romani Imperij contaminauit; hic à Senatoribus in ipſo Senatu interfectus ſceleris pænas luit.

Idē ibid.

2 Huic ſucceſſit *Numa Pompilius*, Numę, *Tullus Hoſtilius*, Tullo, *Ancus Martius*, ſuffragijs Senatus populiq. legitimè electi, qui cum pręclarè ſe & bello, & pace gererent, vitam tranſegerunt ab inſidijs tuti, & mo-

morientes ſummum ſui deſiderium ciuibus reliquerunt.

3 Quintus deinde fuit *Lucius Tarquinius Priſcus*, ab *Anco Martio* liberis ſuis tutor teſtamento inſtitutus, qui, cum eos paterno regno fraudauiſſet, in perfidię pęnam, à paſtoribus eſt occiſus.

4 Sextus fuit *Seruius Tullus*, qui diſſimulara per aliquot dies *Lucij Tarquinij* morte, imperium ſibi aſſumpſit, & poſt aliquot annos, à *Tarquinio* genere ſuo trucidatus eſt. *Ibidem.*

5 Hic autem *Tarquinius*, cognomento *ſuperbus*, ſeptimus fuit & vltimus *Romanorum* Rex, qui cum ſoceri ſui parricidio regnum comparaſſet, nihil ſpei in charitate ciuium repoſuit, ſed peregrinos ſibi conciliauit, metu ſuorum, ciues optimos indicta cauſa neci dedit, legeſq. omnes diuinas, & humanas violauit; quamobrem vnà cum liberis, & vxore ſua, regno eiectus eſt; Cuius filius *ſextus Tarquinius*,

nius, qui *Lucretiæ* ſtuprum intulit; *Gabijſq.* dolo circumuentis, ciuitatis primores interfecit, *ab vltoribus ſimultatum* (inquit *Liuius*) *quas ipſe ſibi cædibus, rapiniſq. conſciuerat, eſt peremptus.* Horum autem Tyrannide effectum eſt, vt regia auctoritate prorſus ſublata, ſumma reipub. poteſtas deinceps ad conſules, annuoſq. magiſtratus deferretur.

Ibidem.

6 Et quingentis pòſt annis, cum Reſp. *Iulij Cæſaris* armis oppreſſa, ad vnius poteſtatem eſſet reuoluta; an imperatoribus profuit imperium, vel malè partum, vel ſcelere retentum? Supra cõmemoraui *Iulium Cæſarem*, *Tiberium, Caligulam, Claudium, Neronem, Domitianum, Commodum, Caracallam, Heliogabalum*, alioſq. crudeliſſimos, nequiſſimoſq. Tyrannos, partim à ſuis ſtipatoribus, partim à militibus, concubinis, amicis, ſeruis occiſos; quibus addi poſſunt *Otho*, *Vitellius, Macrinus, Aurelianus*, *Maximinus*,

Sueton. Spartian. Lamprid.

Plutar. in Othone.

minus, *Decius*, *Gallus*, *Valerianus*, *Maxentius*, *Licinius*, *Valens*, duo *Valentiniani*, ſecundus & tertius, *Maximus*, *Anaſtaſius*, *Mauritius*, *Phocas*, *Martina* cum filio *Heracleona*, *Conſtans* ſecundus, *Iuſtinianus* ſecundus *Leontius*, *Tiberius* tertius, *Philippicus*, *Conſtantinus* ſextus, *Nicephorus*, *Leo* quartus, *Michael ſecundus*, *Baſilius*, *Andronicus*, *Iſaacius*, *Alexius*, *Mirtilus*, alijq. tàm Græci, quàm Latini, (quos breuitatis gratia omitto) qui, cum dominatum occupauiſſent iniuſtè, aut ſaltem ſceleratiſſimè imperaſſent (vel parricidijs, vel alijs cædibus, & ſceleribus contaminati) alij ab hoſtibus capti, & occiſi, alij ſubmerſi, aliqui fulmine, & diuina manu percuſſi, nonnulli in exilium pulſi, aliqui præciſis naribus, linguiſq. deformati, cæteri vel ſuo, vel ciuium ſuorum gladio confoſſi, omnes deniq. bonis omnibus exoſi miſerrimè perierunt.

Spartian. Iulius Capitol. lamprid. Trebell. pollio. Sext. Aurel. vict. paul. Diacon. Flaui. Vopiſc. Pompon. læt. Ioan. Baptiſta Egnat. Zonar, Nicetas Choniates.

Ex

7 Ex altera verò parte, Imperatores illi, qui legitimè rerum potiti, virtuti & religioni ſtuduerunt, tàm diuino prȩſidio, quam populi amore muniti, vixerunt ſecurè, proſperè, glorioſè, & vita excedentes nomina conſecrauerunt immortalitati; quales fuerunt *Veſpaſianus*, *Titus*, *Nerua*, *Traianus*, *Adrianus*, *Antoninus* Pius, *Marcus Aurelius*, *Cōſtantinus magnus*, Iouianus; *Valentinianus* primus, *Theodoſius*, *Iuſtinianus* primus, *Iuſtinus*, *Tiberius* ſecundus, *Carolus magnus*, *Henricus* primus, *Otho* ſecundus, *Lotharius* ſecundus, *Rodulphus* primus, *Carolus* quartus, *Sigiſmundus*, *Fredericus* tertius, *Maximilianus*, & noſtra ȩtate *Carolus* quintus, *virtute, pietate, religione, rerumq. geſtarum gloria praclariſſimus*.

Sueton. Sext. Aurel. vict. Ioa. Bap. Egnat. Pe romexia in vitis imperat.

8 Hactenus de ſceleratis regibus, atque imperatoribus Romanis, & Grȩcis, quibus adiungi poſſent infiniti alij, per reliquum orbem, ab hiſtori-

ſtoricis notati, quorum infelices exitus, conſentienſq; hiſtoricorum de illis iudicium, quemuis hominem, vel ipſius atheiſmi (vt ita dicam) ſomno ſtertentem, excitare poſſet, ad diuinę iuſtitię conſiderationem, & timorem.

9 Sed breuitatis cauſa prętereo innumeros, & illos ſolummodò perceſebo qui in breui vnius *Trogi Pōpeÿ* Epitome, Lectori ſe offerunt, & deinde, quid ipſe author de illis ſenſerit paucis explicabo; Hi ſunt *Aſtyages* medorum rex, *b Cambiſes*, *c Oropaſtes*, & *d Ochus* Perſarum reges, *Hippias* & *f* 40. alij Tyranni Atheniēſes, *Cyrus* iunior *Artaxerxis* frater *g Philippus Macedoniæ rex* (Machiauelliani Principis ſpecimen) *h Alexander magnus*, *i Olympias Alexandri* mater, *k Antipater Caſſandri Macedoniæ* regis filius, totaq. *Caſſandri* progenies, *l Lyſimachus*, m *Ptolomæus*, & *n Perſeus* etiam *Macedoniæ* Reges, *o Clearchus* Heraclienſis

Iuſtin. li. 1.
b Idē ibi.
c Ibidem.
d Idem lib. 10.
e lib. 2.
f lib. 5.
g lib 9.
h lib. 12.
i lib. 14.
K lib. 16.
l lib. 17.
m lib. 24
n lib. 33.
o lib. 16.

Ma-

p Machæus, & *Hanno* Carthaginenſes, *r Dionyſius & ſ Agathocles*, Sicilię tyranni, *t Nabis* in Gręcia tyrannus, *u Ariſtotimus Epiri* Tyrannus *u* duo *Seleuci*, *x Antiochus*, *Demetrius*, *z Alexander* & *Trypho Siriæ* reges *b Attalus* in *Aſia* Rex, *c Laodicę* Capadociæ, & *d Cleopatra Aegypti Reginæ*, *Mithridates Artabani* filius, & *f Horodes* reges *Parthorum*, *g Amulius* denique à *Romulo* & *Remo* occiſus.

p lib. 18.
q lib. 21.
r lib. 20.
ſ lib. 22.
& 23.
t lib. 31.
u lib. 26.
a lib. 27.
& 39.
x lib. 27.
y lib. 35.
z ibid.
lib. 36.
b lib. 36.
c lib. 37.
d lib. 39.
e lib. 42.
f ibidem.
g lib. 43.

10 Hos omnes imperia fraudibus, periurijs, cędibus, parricidijs, vel comparaſſe, vel aliquãdiũ tenuiſſe, atque idcirco debitas ſui ſceleris pęnas Deo, hominibusq. perſoluiſſe teſtatur *Iuſtinus Trogi Pompeij* Cõpilator, qui in plurimis illorum diuinã luculenter indicat vltionem, quam in cęteris tacet, breuitati ſtudens; nec enim neceſſe erat idem in ſingulis repętere.

11 De *Ptolomeo Macedoniæ* re-

ge

ge, periuro, & parricida nequiſſimo, ita ait. *Sed nec Ptolomæo inulta ſcelera fuerunt, quippe Dijs immortalibus tot periuria, & tam cruenta parricidia vindicantibus, à Gallis ſpoliatus regno, captusq. vitam ferro, vt meruerat, amiſit.* *Iuſtin. lib. 14.*

12 De *Seleuco* Syriæ rege, nouercæ, & fratris ex ea ſuſcepti parricida, *Seleucus*, inquit, *cum ad verſus ciuitates quæ deſecerant, ingentem claſſem comparaſſet, repentè Dijs ipſis parricidium vindicantibus, orta tempeſtate, claſſem naufragio amiſit.* Et pòſt, de eodem *Seleuco*, fratreq. eius *Antiocho*, Aſiæ rege, à latronibus interfecto, *Seleucus quoq. ijsdem diebus, amiſſo regno, equo præcipitatus finitur. Sic fratres, & quaſi germanis caſibus exules ambo, poſt regna, ſcelerum ſuorum pœnas luerunt.* *Iuſt. ibid.*

13 Eandem etiam diuinæ iuſtitiæ vindictæq. rationem obſeruat idē Auctor in a *Cambyſe*, b *Hippia*, c *Ma-* *a Iuſtin. lib. 1.* *b lib. 2.* *c lib. 18.*

d lib. 35. e lib. 16. f lib. 39. g lib. 25.

chæo, d *Alexandro*, *Syriæ* rege, e in tota *Caſſandri Macedoniæ* regis progenie; in f *Cleopatra Ptolomæi* vxore, in g *Brenno Gallorum* Duce, & alijs. quid multa? an de grauioribus hiſtoricis, ſiue antiquis, ſiue neotericis, vllus omnino fuerit, in quo idem animaduerti non poterit? Legat, qui vult, *Thucididem*, *Herodotum*, *Diodorum*, *Dionyſium*, *Dionem*, *Valerium maximum*, aliosq. gentilium hiſtoricos (vt de Chriſtianis nihil dicam) & obſtupeſcet, niſallor, *Macchiauelli* inſaniam, atque incredibilem malitiam, qui, cum in omni hiſtoria verſatus fuerit, hæc aut non viderit, aut neglexerit, anteponens ſua fanatica ſomnia, & commenta, totius orbis iudicio.

a Paul. Iou. b Ioan. Vaſſæ. in Chron.

14 Sed vt hunc tandem locum concludam; mitto hic a *Baiazetem* primum, *Moyſem*, *Selymum Turcarum* Imperatores, b *Vitizam*, *Rodericum*, & *Petrum* (dictum *crudelem*) *Hiſpania*

nia, c *Chriſtiernum Daniæ*, d *Ioannem*, ac duos *Richardos Angliæ* reges, denique *Ludouicum Sfortiam Mediolani* ducem; hos, inquam, & infinitos alios, qui ſceleris ſui inſignes dederunt pœnas, miſſos facio, vt, de Principis Macchiauelliani ſpeculo, pauca addam, de *Duce* nempe *Valentino*, homine omnium nequiſſimo, cuius prudentiam, & ſummam in rebus agendis ſolertiam, *Macchiauellus* miris effert laudibus, cũ tamen nemo luculentior illo, diuinæ in ſceleratos principes vltionis, teſtis eſſe poſſit.

c Surius in Cõmen. an. 1517. & Olaus mag lib. 8 c. 39
d Polid. Virg hiſt. Angl.
e Guicc. lib. 4.

15 *Cæſar* dux Valentinus, *Alexandri* ſexti filius, primùm Epiſcopus Pampalunenſis, & deinde Cardinalis factus, fratris ſui parricidio ad maiora ſibi viam muniuit, atque abdicata tum Epiſcopi, tum Cardinalis dignitate, impetratoq. à *Ludouico*. 12. *Franciæ* rege, Ducis Valentini titulo, partim patris ſui ope, & auctoritate, partim propria frau-

Idem lib. 1. 2. 3. 4. & 5.

de; ſcelereq. totam *Romaniam* ſibi ſubiecit; & tantas vndecunque breui corraſit opes, vt toti Italiæ terrori eſſet; ſed cum *Aſcanium Cornettum* Cardinalem, aliosq. ſimulata amicitia, ad conuiuium inuitaſſet, vt illos venenatis poculis necaret, in plagas, quas alijs tendebat, ipſe inci-
Idem li. 6 dit; iuſto enim Dei iudicio effectum eſt, vt miniſtri à poculis errore, venenatum vinum non illis, quibus erat paratum, ſed ipſi duci, patriq. eius *Alexandro* exhiberetur, quo, pater, iam etate prouectus, fractusq. ſubito extinctus eſt; ipſe vero dux, adhuc iuuenis, & ad vires veneni reprimendas fortior, adeò ægrotauit, vt adhibitis plurimis remedijs, vix tandem longo pòſt tempore conualuerit.

16 Interea tamen, nouo creato Pontifice, illi adeò inimico, vt ei manus, & vincula inijceret, res eius paulatim inclinata, tandem prorſus concidit; deficiente enim ab eo tota *Romania*

mania (exceptis tribus ciuitatibus quas Pontifici pro libertate dare coactus eſt) ad *Conſaluum Neapolis* Proregem, tanquam ad aſylum confugit, à quo captus, atque in *Hiſpaniam* miſſus eſt,& cum inde,deceptis cuſtodibus, *Nauarram* ſe recepiſſet, ad ſummam tandem redactus paupertatem; in ignobilis arcis propugnatione, inter gregarios milites vulneratus, occubuit.

17 Quis igitur eſt adeò mente captus, vt non animaduertat, in hoc Principis Macchiauelliani ſpeculo, qui ſit Tyrannidis fructus, quæ ſceleris vtilitas,&quemadmodum Deus *ſapientiam ſapientium perdit, & prudentiam prudentium reprobat, conſilia Achitophelis infatuat*, impiorum eludit conatus, frangit vires, potentiam euertit, ſcelera punit? quod quidem *Macchiauellus*, ni in reprobum ſenſum traditus fuiſſet,non potuiſſet non videre. 1. Cor. 1. 2. Reg. 17.

Detegitur *Macchiauelli* nequitia in ſacris Scripturis *de Moyſe* & *Dauide* ad ſuum propoſitum detorquendis, quæ in eum retorquentur; doceturq. *Dauidem* eſſe præclariſſimum optimi Principis exemplar.

CAP. XIII.

1 CVM de Principis Macchiauelliani ſpeculo, hæc mihi oblata ſit loquendi occaſio, non poſſum ſummam *Macchiauelli* nequitiam, & verſutiam ſilentio præterire, eò quòd non modo peſſimos, & ſceleratiſſimos tyrannos, verùm etiam optimos Principes (*Moyſen* ſcilicet, & *Dauidem*) ſceleri patronos conſtituit, vt eorum etiam exem-

exemplo ſuum tyrannum inſtituiſſe videatur, atque vt incauto Lectori facilius imponat, ipſius ſacræ Scripturæ auctoritate ſua nefaria commenta confirmare conatur, quod omnem malitiam ſuperat; Dicit enim attentum, & ſagacem Scripturæ lectorem facilè percepturum, Moyſen infinitis cædibus ſuum ſtabiliuiſſe imperium, cum tamen Scriptura ſacra de ipſo affirmet, quòd *vir mitiſſimus erat ſuper omnes qui morabantur in terra*. *Num.* 12.

2 Huius rei tot in ſacra hiſtoria paſsim occurrunt teſtimonia, & exempla, vt eius lectores, non dicam ſagaciſſimi, ſed vel maximè hebetes, & tardi perſpicere poſſint, *Moyſen* tantùm à tyrannide, & omni ambitione abfuiſſe, quantùm abfuit *Macchiauellus* à pietate, & veritate; quandoquidem *Moyſes* non modò populi Principatum, ſibi ab ipſo Deo oblatum ter recuſauit, & tandem ægrè, ac non niſi coactus ſu- *Exod.* 3. & 4.

ſcepit, verùm etiam ſuſceptum ita tenuit, & adminiſtrauit, vt præclariſſima iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, clementiæ, religionis, & ſummæ ſuæ in populum charitatis indicia, atque experimenta dederit; qui, cum non Rex ſolùm, ſed etiam Sacerdos eſſet, vtrique officio cumulatè ſatisfecit; vitam contemplatiuam, cum actiua perfectiſſimè coniungendo; quod D. Gregorius in *Moyſe*, Principibus, & Rectoribus, tum obſeruandum, tum imitandum proponit. *Moyſes*, inquit, *crebrò tabernaculum intrat & exit, & qui intus in contemplationem rapitur; foris infirmantium negotÿs vrgetur, intus Dei arcana conſiderat, foris onera carnalium portat; qui de rebus quoque dubÿs ſemper ad tabernaculum recurrit, coram teſtamenti arca Dominum conſulit; exemplum procul dubio Rectoribus prabens, vt cum foris ambigunt quid diſponant, ad mentem quaſi ad tabernaculum redeant, & velut coram*

D. Greg. de paſtor. cura, par. 2. c. 5.

ram

ram teſtamenti arca Dominum conſulant, &c. Hactenus ille.

3 Sed vt cæteris, breuitatis cauſa omiſſis, ea quæ ad *Macchiauelli* calumniam pertinent, excutiamus; quænam tandem fuere cædes, quibus *Moyſen* ſuum firmaſſe imperium ſomniat *Macchiauellus*? an illæ, quæ ob adoratum vitulū aureum factæ ſunt, cum 23. millia hominum, *Moyſis* iuſſu, à Tribu *Leui* ſunt occiſi? qua in re cùm *Moyſes* non ſuam, ſed Dei læſam maieſtatem (horrendū, inquam, Idolatriæ ſcelus) vindicaret, quid aliud, vir, non minus prudens, quam pius in animo habuit, niſi vt nefando totius populi crimine, quorundam morte, expiato, cæteros internecione, quam Deus illis comminatus fuerat, liberaret? quod etiam partim, illis, quas de eis ſumpſit, pænis, partim precibus & lacrimis præſtitit; precibus, inquam, ſed cuiuſmodi? aduerte lector, & obſtupeſce. *Domine*, inquit, Exod. 32

quit,

Ibidem. quit, *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.*

4 O preces admirandas! ò ſtupendam Principis in ſubditos charitatem! Cùm non aliter, niſi illis ſaluis, ipſe ſaluus eſſe voluerit, & pereuntibus illis, perire etiam perpetuò petierit; Quare veriſſimè D. *Chryſoſtomus*; *Moyſes*, inquit, *tot millia hominum pluſquam filios amauit, nullus enim pater vnà cum filijs perire cupit, præſertim cum nihil ipſe peccauerit.* Hæc ille. Sed de vtroq. *Moyſis* facto, (id eſt tum de miſericordia, quam illis à Deo impetrauit, tum de ſupplicio quo eos affecit) egregiè diſſerit D. *Gregorius*. *Moyſes*, inquit, *Sic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis, nec ſibi parceret, & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt quos amauit, vt eos etiam, Domino parcente, proſterneret, vtrobiq. legatus fortis, vtrobiq. mediator admirabilis, cauſſam*

Chryſoſt. de diuina prouidentia lib. 3.

Greg. in c. 30. Iob. lib. 20. c. 8

populi

populi apud Deum precibus, cauſam Dei apud populum gladijs allegauit; intus amans, diuinæ iræ ſupplicando obſtitit, foris ſæuiens, culpam feriendo conſumſit; Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum ſuum, citius exaudiuit agentem pro Populo, quia vidit quid ſuper Populum acturus eſſet pro ipſo Deo. In regimine ergo Populi *vtrumq. Moyſes miſcuit, vt nec diſciplina deeſſet miſericordiæ, nec miſericordia diſciplinæ.* Huc vſque D. *Gregorius*.

5 Sed quanta, & quam incredibilis fuit *Moyſis*, tum erga ſubditos charitas, tum apud Deum auctoritas, vel hinc liquet, quod diuinam iuſtitiam, iramq. quodammodo conſtrictam tenuit, ne in populum grauiſſimè delinquentem ſæuiret, & quamuis ipſe Deus ab eo peteret, vt ſineret ſe eos penitus delere, imò etiam maiores illi dignitates, & honores pollicеretur, ille tamen, nec eorum erga ſe ingratitudine, nec maioris imperij

ſpe,

ſpe, nec diuini poſtulati auctoritate flecti & adduci potuit, vt eos deſereret. *Dimitte me*, inquit Dominus, *vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, & faciam te in gentem magnam*; Sed quid ad hæc *Moyſes*? *orabat*, inquit ſacra hiſtoria, *Dominum Deum ſuum*, nec deſtitit, donec tandem *placatus eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat contra populum ſuum*.

Exod. 32.

Ibidem.

6 Nec hoc fecit *Moyſes* ſolùm, cùm populus in Deum peccabat, ſed tum maximè cum in ſe coniurabat. Nam quanquam facinora in Deum commiſſa haud inulta patiebatur, iniurias tamen ſibi ipſi factas, tum patientiſſimè ferebat, tum Deum eas vlciſcentem, quacunque poterat ratione, placabat. Cum enim, (reuerſis de terra *Chanaan* exploratoribus) leuis, ignauus, & ingratus populus, diuinis diffiſus oraculis, & promiſſis, tam de reditu in *Aegyptum*, quam de alio ſibi duce

duce cõſtituendo deliberaret, Deuſq. *Num. 14.*
Moyſi diceret, *feriam eos peſtilentia, & conſumam, te autem faciam Principem ſuper gentem maiorem, & fortiorem quam hæc eſt*, *Moyſes* miſericordiam pro eis, & peccati veniam efflagitare non deſijt, donec ei demum dominus reſponderet, *Dimiſi iuxta verbum tuum*.

7 Præterea, cum *Core*, & ſocij eius, res nouas molientes, populum in *Moyſen*, & *Aaronem* concitarent, imò *Num. 16.* & eos contumelijs, & conuicijs exagitarent, quid fecit *Moyſes?* an vindictam de eis ſumere, vel quempiam illorum interficere ſtatuit? minimè. Quamuis enim eorum erga ſe ingratitudinem, iniquiſſimasq. calumnias adeò ægrè ferebat, vt grauiſſimè de eis cum Deo quæreretur, ipſumq. teſtem adhiberet, *ſe nec aſellum quidem ab eis accepiſſe, nec illorum aliquem afflixiſſe*, rem tamen totam Dei iudi- *Ibid.*
cio reliquit; *mane*, inquit, *notum faciet*

ciet Dominus, qui ad ſe pertineant, & quemcumque elegerit, ipſe ſanctus erit; Et, cùm ipſi coniuratores, eorumq. ſocij (diuina iuſtitia ab eis pœnas repetente) partim terra dehiſcente abſorpti, partim igne diuinitùs immiſſo abſumpti eſſent, & nihilominùs tumultus, & ſeditio adeò creſceret, vt *Moyſes*, & *Aaron* ad tabernaculum fœderis confugere coacti eſſent; Cum denique vltrix flamma, (diuina iubente iuſtitia) iam in populum graſſari, & iniuriam fratribus illatam perſequi cæpiſſet, an ipſi de vindicta, & populi ingratiſſimi cęde lętati ſunt? nihil minus: Nam *Aaron*, ipſius *Moyſis* iuſſu, ad altare cucurrit, thuribulum, & ignem accepit, *thymiama obtulit, & ſtans inter viuos, & mortuos* (*Moyſe* interim in terra proſtrato, & orante) *deprecatus eſt pro populo, & plaga ceſſauit*.

Ibidem.

8 Quid? populo etiam ignitis ſerpentibus percuſſo (quia in Deum, & Moy-

Num. 21.

& *Moyſen* murmurabat) nonne *Moyſes* diuinam implorans miſericordiã, tum peccati veniam, tum mali remedium illis impetrauit? *Orauit Moyſes*, inquit Scriptura, *pro populo, & locutus eſt dominus ad eum, fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, & qui percuſſus aſpexerit, viuet.* *Ibid.*

9 Plurima alia moſaicę charitatis, & pietatis exempla miſſa facio, cum ex his ſatis perſpicuum ſit, quam abſurdè, & impiè *Macchiauellus*, *Moyſen* ad tyrannidis, & ſceleris patrocinium aſciuerit, quo nemo hominum (præter ſeruatorem noſtrum, cuius etiam verus typus, & figura erat) vel clementior, vel mitior, vel iuſtior fuit, vel pluribus à Deo dotibus, & priuilegijs ditatus, & decoratus; Cum Rex fuerit pijſſimus, & prudentiſſimus, Pontifex maximus, legislator præclariſſimus, dux belli fortiſſimus, & inuictiſſimus, miraculorum effector inſigniſſimus, theologus, teſte Di- *Hebr. 3.* *Aug ſer. 49. de verbo dom.*

Aug. de ciuit. Dei lib. 18. c. 37. ſte Diuo *Auguſtino*, eximius, Philoſophus ſummus, Poeta omnium antiquiſſimus, Hiſtoricus grauiſſimus, ac veriſſimus, &, vt ait philo, peritiſſimus, atque optimus animarum medicus, vir denique diuiniſsimus, Num. 12. cui ipſe Deus *ore ad os loqui, palàmq. ſe, & non per ænigmata oſtendere ſolebat*; de quo, etiam Eccleſiaſticus; *Dilectus Deo, & hominibus Moyſes*, Ecclef. ca. 45. *cuius memoria in benedictione eſt, ſimilem eum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit eum in conſpectu Regum, & iuſſit illi coràm populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam; in fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.*

10 Hæc de *Moyſe* Spiritus ſanctus in *Eccleſiaſtico*. Quis igitur non videt quam ſagaci, & emuncta nare *Macchiauello* opus ſit, vt eam, quam *Moyſi* affingit, tyrannidem, in Scri-

pturis

pturis ſacris odoretur, ex quibus ſuauiſſimi diuinarum virtutum eius odores paſſim afflantur, qui lectores non ſolùm ſumma voluptate perfundunt, ſed etiam maxima exempli vtilitate afficiunt? Sed de *Moyſe* hactenus.

11 Nunc de ſanctiſſimo Rege *Dauide* pauca addenda ſunt, de quo *Macchiauellus* non minus abſurdè, & turpiter, quàm de *Moyſe* blaterat, quandoquidem affirmat, tàm illum, quàm *Philippum Macedoniæ* regem, (hominem reuera nequiſſimum) regni firmandi, & commodi ſui gratia omnia turbaſſe, inuertiſse, cælumq. & terram, vt ita dicam, miſcuiſſe; atque vt abſurdum illud mendacium, aliquo Scripturæ fuco illinat, dicit *Dauidem eſurientes impleuiſſe bonis, & diuites dimiſiſſe inanes*, ac ſi illud, *Luc. 1.* quod de ipſo Deo Beatiſſima Virgo cecinit, de *Dauide* fuiſſet dictum, in quem quadrare nullo modo poteſt.

12 Sed quis neſcit *Dauidem* fuiſ-

ſe verum, pietatis, religionis, iuſtitiæ,
omnisq. virtutis ſpecimen, *Dauidem,*
a 1.Reg. 13. inquam, de quo *Samuel* propheta,
Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta
b Pſ. 15. *cor ſuum*, qui, vt ipſe de ſe teſtatur
c Pſ. 127. *prouidebat* b *Dominum in conſpectu ſuo*
d Pſ. 118. *ſemper*, c qui *Dei mandata diligebat*
e Ibid. *ſuper aurum, & topazium*, d qui *media*
f Pſ. 59. *nocte ſurgebat ad confitendum nomini*
g Pſ. 17. & 143. *Dei*, qui *ſeptiès in die laudem dicebat*
Deo, g qui *vanam ſalutem hominũ ar-*
bitratus, Deum vocitabat cornu ſalutis
ſuæ, ſpem ſuam, petram, firmamen-
tum, robur, ſcutum, clypeum, refu-
gium ſuum, qui prudentiam ſerpentis
cum ſimplicitate columbæ, ita copu-
labat, vt, neque incuria, aut negligen-
tia Deum tentaret, nec ſui fiducia
k 1.Reg. 21. & 22 offenderet; nam *k* per Prophetas, &
Sacerdotes de rebus ſuis Deum con-
ſulebat, & cum de illius voluntate
nihil certi habere poterat, tunc, & ſua
prudentia, & aliorum conſilio vteba-
tur, ita tamen, vt omnes rerum euen-

tus

tus è ſola Dei volũtate pendere exiſtimaret; qui Prophetas Dei ſummè obſeruabat, & colebat, *l* quibus ſe præbebat admonentibus benignum, & facilem, increpantibus mitem, & modeſtum, iubentibus ad nutum obſequentem; qui, ſi quid ipſe fortè delinqueret, peccatum, ſtatim agnoſcebat ſuum, *lacrymis rigabat ſtratum, cinerem tanquam panem manducabat, & potum miſcebat cùm fletu*; qui *faciebat iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo*, nec à maieſtate ſecludens humanitatem, nec à grauitate lenitatem, nec à iuſtitia miſericordiam; qui verus pater patriæ, in pace erat prudentiſſimus, in bello fortiſſimus, inuictiſſimusq. in rebus aduerſis conſtans, & magnanimus, in proſperis comis, & manſuetus, in vtraque fortunâ moderatiſſimus, præclariſſimus Propheta, Pſalmiſta celeberrimus, rex denique iuſtiſſimus, ſanctiſſimus, optimus; qui, cùm regnaſſet 40. an-

l 2. *Reg.* 12. 3. *Reg.* 1.

Pſal. 6. & 101.

2. *Reg.* 8.

nos, imperij finibus vndique dilatatis, rebusq. omnibus, ad Dei cultum pertinentibus, optimè conſtitutis, *mortuus eſt*, inquit ſacra Hiſtoria, *in ſenectute bona, plenus dierum, & diuitijs, & gloria*.

1. Paral. 29.

13 Itaque nimis execranda eſt, tùm nequitia, tùm impudentia *Macchiauelli*, qui auſus eſt *Dauidem* cùm *Philippo Macedoniæ* rege parricida, perfido, periuro, Deo, & hominibus exoſo, atque à ſuis tandem occiſo, conſociare; an ſanctiſſimus rex Propheta, verum optimi Principis exemplar, cùm ſceleratiſſimo tyranno, aliquid commune habere potuit, vt nequiſſimo *Macchiauelli* Principi, ſceleris exemplo eſſe poſſet?

Iuſt. li. 8. & 9.

14 Si autẽ aliquis adeò ſit ineptus, vt mihi obiectet *Dauidis* cùm *Berſabe* adulterium, & *Vriæ* cædem, ſciat eo exemplo nullum aliud eſſe in tota ...a Hiſtoria, ad malitiam *Macchia*... detegendam aptius, nullum ad

1. Reg. 11

Prin-

Principes à ſcelere deterrendos acom modatius, nullum denique in quo infelix ſceleſti Principis conditio, pœna ſceleri debita, & diuina iuſtitia magis eluceat.

15 Quis enim Hiſtoriam ſacram adeò oſcitanter legerit, quin vnà cũ *Dauidis* peccato, peccati etiam pœnas viderit? nempè ipſius infantem filium, ex *Berſabe* ſuſceptum, in cunis morientem, *b Abſalonem* alium eius filium in patrem coniurantem, regnũ occupantem, concubinas patris publicè *c* conſtuprantem, ipſum etiam *Dauidem* præ timore filij fugientem, nudis pedibus, operto capite, & cum populo ſe comitante collacrymantem, *Semei* conuicia, & maledicta patientiſſimè ferentem, dicentemq. *dimittite eum, vt mihi maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè Dominus reſpiciat afflictionem meam*; necnon cruentum prælium, & deplorandam ipſius *Abſalonis*, atque hominum viginti

a 2. Reg. 12.

b Ibidem cap. 15.

c Ibidem cap. 16.

cap. 15.

Ibid.

ginti millium ſtragem, ipſum denique
2. Reg. 18 *Dauidem*, victoria parta, non exultantem, & triumphantem, ſed ob mortem *Abſalonis*, eiuſdem & hoſtis, & filij, eiulantem, atque innumeras profundentem lacrymas, & miſeriorem ſibi viſum victorem, amiſſo filio, quàm ſi à filio victus fuiſſet.

16 Nonne hæc omnia Dauidici
2. Reg. 12 peccati fructus fuere, atque ipſi *Dauidi* à *Nathane* propheta prædicta, & denunciata? quorum acerbitatem, qui rectè perpenderit, is, niſi mentis inops fuerit, dicere non poterit, illum ex ſcelere aliquid percepiſſe emolumenti; Attamen, tantùm abeſt, vt hæc ſanctiſſimi regis infirmitas, hic lapſus, reliquam eius vitam optimè actam commaculet, vt tanquam vmbra in pictura, vel paruulus aliquis næuus in pulcherrima facie, illam multò clariorem, & illuſtriorem reddat, eumq. efficiat perfectiſſimum regis, non exēplar ſolùm, ſed etiam Ducem, & magiſtrum,

giſtrum, quo Principes, in varijs hu-
ius vitæ erroribus, omniq. infirmita-
te humana, vti poſſint, tùm ad veram
pietatem, virtutemq. perdiſcendam,
tùm ad errata, ſi quæ fortè commi-
ſerint, emendanda; vt non modò in
infirmitate virtutem perficere ſtu-
deant, ſed etiam in virtute infirmita-
tem recordentur, & timeant.

17 Hunc, igitur, contemplentur reges, & Principes, ſiue illi boni fuerint, ſiue mali; boni, vt illius religionem, pietatem, iuſtitiam, cæterasq. virtutes imitantes, meliores euadant, atque infirmitatem conſiderantes, non ita ſe ſtare exiſtiment, quin caueant ne cadant; mali autem, vt lapſi reſurgant, & ſicut cum illo peccauerint, cùm illo etiam peccata agnoſcant, defleantq. Multi enim *Dauidem* imitantur peccando, ſed pauci pœnitendo. Hinc præclarè D. *Ambroſius*; *peccauit Dauid, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, fleuit, ingemuit,* D. Ambr. 1. Apolog. cap. 4.

quod non ſolent reges.

18 Prætereà diſcant Principes ſalutem populi ſua habere chariorē, *Dauidis* exemplo, qui cum ſubditos
2.Reg. 24 ſuos, ob ipſius peccata, ab Angelo percuſſos conſpiceret, exclamauit ad dominum, dicens, *Ego ſum qui peccaui, iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*.

19 Diſcant etiam ex *Dauide* re-
a Pſ. 32. gna, imperiaq. non tàm viribus, quàm virtutibus ſtare, non humano conſi-
b Pſ. 143. lio, ſed diuino fulciri *b* patrocinio, non à regum libidine, & arbitrio, ſed
c Pſ. 75. à *c* Dei voluntate, & nutu pendere.

20 Diſcant, ſuam pietatem, iuſtitiamq. nō ſibi ſolùm, ſed etiam filijs, & poſteris ad regni ſtabilitatem profuturam, cùm propter *Dauidem*, Deus,
d 3. Reg. 11. tùm *d Salomoni* peccanti pepercerit, tùm multis pòſt annis, regnantibus
e 2. Par. 21. *Ioram*, & *f Ezechia*, vrbem *Hieruſa-*
f 4. Reg. 19. *lem*, regnumq. *Iudæ* ab excidio, & inte-

interitu vindicauerit.

21 Diſcant, ſcelus certiſſimam eſſe, & *g* regum,& regnorum peſtem, ipſumq. miſeriarum fontem, à quo fluant omnes omnium, non dicam regum, ſed hominum *h* calamitates. *g Pſal.2. & 75.* *h Pſ. 10: & 36.*

22 Diſcant, quàm ſit impijs regibus pertimeſcenda, atque horrenda diuinæ iuſtitiæ ſeueritas, qua fit, vt pœna ſceleri debita, non ſolum ad ipſos ſceleris auctores, ſed etiam ad eorum *i* liberos,& poſteros redundet. *i 1. Reg. 12.*

23 Sciant prætereà, ſe ne ſperare quidem poſſe, *k* ſuos, vel ſubditos, vel amicos, vel propinquos, vel etiam liberos, ſibi fore fideles, cùm ipſi à ſuo, & communi omnium patre, rege, & domino deſciuerint; Aequum enim eſt, vt pœna culpæ reſpondeat, & creaturæ erga creatorem infidelitas, ſuorum infidelitate ſubditorum puniatur; hinc, tot in aulis regum *Abſalones*, tanta domeſticorum perfidia, *K Ibidem ca. 15. 16. & 17.*

fidia,

ſidia, tot, tantæq. coniurationes ciuium, & tàm frequentes populorum à ſuis regibus defectiones.

24 Denique cum *Dauidis*, Deo amiciſsimi, chariſsimiq. infirmitas, æquiſsima diuinæ iuſtitiæ lance ponderata; tantas meruerit pœnas, conſiderent reges, quid merebitur inimicorum Dei malitia, ſummus diuini nominis contemptus, infinitæ fraudes, horrenda periuria, quotidiana ſtupra, variæ multiplicesq. cædes, quibus tyrannorum vita abundat. *pluet*, ait rex Pſalmiſta, *ſuper peccatorem laqueos*; *ignis*, *ſulphur*, *& ſpiritus procellarum pars calicis eius*. Sed de his hactenus; de quibus pro ea, quam mihi propoſui breuitate, ſatis multa, pro rei verò, quam tractaui dignitate, nimis pauca, ſi aliquid omninò dixiſſe videar.

Pſal. 10.

Obij-

Obijciunt *Macchiauelli* fautores, plurimos impunè tyrannidē occupaſſe; arguitur eorum ineptia; & docetur paterni peccati pœnam filios quandoq. perſoluere, & quàm ſeuerè ſolet Deus homicidia vindicare,non ſolùm in ſceleris auctoribus, eorumq. liberis, & nepotibus, verùm etiam in vniuerſa republica.

CAP. XIV.

1 SED dicet fortaſsis fautor aliquis *Macchiauelli*, nōnullos, principatum cædibus, periurijs, parricidijs,omniq. ſcelere impunè comparauiſſe, ampliſsimaq. filijs ſuis reliquiſſe imperia,

quorum

ſe verum, pietatis, religionis, iuſtitiæ; omnisq. virtutis ſpecimen, *Dauidem*,
a 1. Reg. 13. inquam, de quo *Samuel* propheta, *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta*
b Pſ. 15. *cor ſuum*, qui, vt ipſe de ſe teſtatur
c Pſ. 127. *prouidebat* b *Dominum in conſpectu ſuo*
d Pſ. 118. e Ibid. *ſemper*, c qui *Dei mandata diligebat*
f Pſ. 59. *ſuper aurum, & topazium*, d qui *media*
g Pſ. 17. & 143. *nocte ſurgebat ad confitendum nomini Dei*, qui *ſepties in die laudem dicebat Deo*, g qui *vanam ſalutem hominũ arbitratus*, *Deum vocitabat cornu ſalutis ſuæ*, *ſpem ſuam*, *petram*, *firmamentum*, *robur*, *ſcutum*, *clypeum*, *refugium ſuum*, qui prudentiam ſerpentis cum ſimplicitate columbæ, ita copulabat, vt, neque incuria, aut negligentia Deum tentaret, nec ſui fiducia
k 1. Reg. 21. & 22 offenderet; nam *k* per Prophetas, & Sacerdotes de rebus ſuis Deum conſulebat, & cum de illius voluntate nihil certi habere poterat, tunc, & ſua prudentia, & aliorum conſilio vtebatur, ita tamen, vt omnes rerum euen-

tus

tus è ſola Dei volũtate pendere exi-
ſtimaret; qui Prophetas Dei ſummè
obſeruabat, & colebat, *l* quibus ſe *l* 1. *Reg.*
præbebat admonentibus benignum, 12.
& facilem, increpantibus mitem, & 3. *Reg.* 1.
modeſtum, iubentibus ad nutum
obſequentem; qui, ſi quid ipſe fortè
delinqueret, peccatum, ſtatim agno-
ſcebat ſuum, *lacrymis rigabat ſtra-* *Pſal.* 6.
tum, cinerem tanquam panem mandu- & 101.
cabat, & potum miſcebat cùm fletu; qui 2. *Reg.* 8.
*faciebat iudicium, & iuſtitiam omni
populo ſuo*, nec à maieſtate ſecludens
humanitatem, nec à grauitate leni-
tatem, nec à iuſtitia miſericordiam;
qui verus pater patriæ, in pace erat
prudentiſſimus, in bello fortiſſimus,
inuictiſſimusq. in rebus aduerſis con-
ſtans, & magnanimus, in proſperis
comis, & manſuetus, in vtraque for-
tunà moderatiſſimus, præclariſſimus
Propheta, Pſalmiſta celeberrimus,
rex denique iuſtiſſimus, ſanctiſſimus,
optimus; qui, cùm regnaſſet 40. an-

M 2 nos,

nos, imperij finibus vndique dilatatis, rebusq. omnibus, ad Dei cultum pertinentibus, optimè conſtitutis, *mortuus eſt*, inquit ſacra Hiſtoria, *in ſenectute bona, plenus dierum, & diuitijs, & gloria*.

1. *Paral.* 29.

13 Itaque nimis execranda eſt, tùm nequitia, tùm impudentia *Macchiauelli*, qui auſus eſt *Dauidem* cùm *Philippo Macedoniæ* rege parricida, perfido, periuro, Deo, & hominibus exoſo, atque à ſuis tandem occiſo, conſociare; an ſanctiſſimus rex Propheta, verum optimi Principis exemplar, cùm ſceleratiſſimo tyranno, aliquid commune habere potuit, vt nequiſſimo *Macchiauelli* Principi, ſceleris exemplo eſſe poſſet?

Iuſt. li. 8. & 9.

14 Si autẽ aliquis adeò ſit ineptus, vt mihi obiectet *Dauidis* cùm *Berſabe* adulterium, & *Vriæ* cædem, ſciat eo exemplo nullum aliud eſſe in tota ſacra Hiſtoria, ad malitiam *Macchiauelli* detegendam aptius, nullum ad

2. *Reg.* 11

Prin-

Principes à ſcelere deterrendos acom modatius, nullum denique in quo infelix ſceleſti Principis conditio, pœna ſceleri debita, & diuina iuſtitia magis eluceat.

15 Quis enim Hiſtoriam ſacram adeò oſcitanter legerit, quin vnà cũ *Dauidis* peccato, peccati etiam pœnas viderit? nempè ipſius infantem filium, ex *Berſabe* ſuſceptum, in cunis morientem, *b Abſalonem* alium eius filium in patrem coniurantem, regnũ occupantem, concubinas patris publicè *c* conſtuprantem, ipſum etiam *Dauidem* præ timore filij fugientem, nudis pedibus, operto capite, & cum populo ſe comitante collacrymantem, *Semei* conuicia, & maledicta patientiſſimè ferentem, dicentemq. *dimittite eum, vt mihi maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè Dominus reſpiciat afflictionem meam*; necnon cruentum prælium, & deplorandam ipſius *Abſalonis*, atque hominum vi-

a 2. Reg. 12.
b Ibidem cap. 15.
c Ididem cap. 16.
cap. 15.
Ibid.

ginti millium ſtragem,ipſum denique
2.Reg. 18 *Dauidem*,victoria parta,non exultantem, & triumphantem, ſed ob mortem *Abſalonis*, eiuſdem & hoſtis, & filij, eiulantem, atque innumeras profundentem lacrymas, & miſeriorem ſibi viſum victorem, amiſſo filio, quàm ſi à filio victus fuiſſet.

16 Nonne hæc omnia Dauidici
2.Reg. 12 peccati fructus fuere, atque ipſi *Dauidi* à *Nathane* propheta prædicta, & denunciata? quorum acerbitatem, qui rectè perpenderit, is, niſi mentis inops fuerit, dicere non poterit, illum ex ſcelere aliquid percepiſſe emolumenti; Attamen, tantùm abeſt, vt hæc ſanctiſſimi regis infirmitas, hic lapſus, reliquam eius vitam optimè actam commaculet, vt tanquam vmbra in pictura, vel paruulus aliquis næuus in pulcherrima facie, illam multò clariorem, & illuſtriorem reddat, eumq. efficiat perfectiſſimum regis, non exemplar ſolùm, ſed etiam Ducem, & magiſtrum,

giſtrum, quo Principes, in varijs hu-ius vitæ erroribus, omniq. infirmita-te humana, vti poſſint, tùm ad veram pietatem, virtutemq. perdiſcendam, tùm ad errata, ſi-quæ fortè commi-ſerint, emendanda; vt non modò in infirmitate virtutem perficere ſtu-deant, ſed etiam in virtute infirmita-tem recordentur, & timeant.

17 Hunc, igitur, contemplentur reges, & Principes, ſiue illi boni fue-rint, ſiue mali; boni, vt illius religio-nem, pietatem, iuſtitiam, cæteraſq. virtutes imitantes, meliores euadant, atque infirmitatem conſiderantes, non ita ſe ſtare exiſtiment, quin ca-ueant ne cadant; mali autem, vt la-pſi reſurgant, & ſicut cum illo pecca-uerint, cùm illo etiam peccata agno-ſcant, defleantq. Multi enim *Dauidem* imitantur peccando, ſed pauci pœni-tendo. Hinc præclarè D. *Ambroſius*; *peccauit Dauid, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, fleuit, ingemuit,* D. Ambr. 1. Apolog. cap. 4.

quod non ſolent reges.

18 Prætereà diſcant Principes ſalutem populi ſua habere chariorē, *Dauidis* exemplo, qui cum ſubditos
2.Reg. 24 ſuos, ob ipſius peccata, ab Angelo percuſſos conſpiceret, exclamauit ad dominum, dicens, *Ego ſum qui peccaui, iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.*

19 Diſcant etiam ex *Dauide* re-
a Pſ. 32. gna, imperiaq. non tàm viribus, quàm virtutibus ſtare, non humano conſi-
b Pſ. 143. lio, ſed diuino fulciri *b* patrocinio, non à regum libidine, & arbitrio, ſed
c Pſ. 75. à *c* Dei voluntate, & nutu pendere.

20 Diſcant, ſuam pietatem, iuſtitiamq. nō ſibi ſolùm, ſed etiam filijs, & poſteris ad regni ſtabilitatem profuturam, cùm propter *Dauidem*, Deus,
d 3. Reg. 11. tùm *d Salomoni* peccanti pepercerit,
e 2. Par. 21. tùm multis pòſt annis, regnantibus *Ioram*, & *f Ezechia*, vrbem *Hieruſa-*
f 4. Reg. 19. *lem*, regnumq. *Iudæ* ab excidio, &

inte-

interitu vindicauerit.

21 Diſcant, ſcelus certiſſimam eſſe, & *g* regum,& regnorum peſtem, ipſumq. miſeriarum fontem, à quo fluant omnes omnium, non dicam regum, ſed hominum *h* calamitates.

g Pſal.2. & 75.

h Pſ. 10: & 36.

22 Diſcant, quàm ſit impijs regibus pertimeſcenda, atque horrenda diuinæ iuſtitiæ ſeueritas, qua fit, vt pœna ſceleri debita, non ſolum ad ipſos ſceleris auctores, ſed etiam ad eorum *i* liberos,& poſteros redundet.

i 1. Reg. 12.

23 Sciant prætereà, ſe ne ſperare quidem poſſe, *k* ſuos, vel ſubditos, vel amicos, vel propinquos, vel etiam liberos, ſibi fore fideles, cùm ipſi à ſuo, & communi omnium patre, rege, & domino deſciuerint; Aequum enim eſt, vt pœna culpæ reſpondeat, & creaturæ erga creatorem infidelitas, ſuorum infidelitate ſubditorum puniatur; hinc, tot in aulis regum *Abſalones*, tanta domeſticorum perfidia,

K Ibidem ca.14.16. & 17.

ſidia, tot, tantæq. coniurationes ciuium, & tàm frequentes populorum à ſuis regibus defectiones.

24 Denique cum *Dauidis*, Deo amiciſsimi, chariſsimiq. infirmitas, æquiſsima diuinæ iuſtitiæ lance ponderata; tantas meruerit pœnas, conſiderent reges, quid merebitur inimicorum Dei malitia, ſummus diuini nominis contemptus, infinitæ fraudes, horrenda periuria, quotidiana ſtupra, variæ multiplicesq. cædes, quibus tyrannorum vita abundat.

Pſal. 10. *pluet*, ait rex Pſalmiſta, *ſuper peccatorem laqueos; ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eius.* Sed de his hactenus; de quibus pro ea, quam mihi propoſui breuitate, ſatis multa, pro rei verò, quam tractaui dignitate, nimis pauca, ſi aliquid omninò dixiſſe videar.

Obij-

Obijciunt *Macchiauelli* fautores, plurimos impunè tyrannidẽ occupaſſe; arguitur eorum ineptia; & docetur paterni peccati pœnam filios quandoq. perſoluere, & quàm ſeuerè ſolet Deus homicidia vindicare, non ſolùm in ſceleris auctoribus, eorumq. liberis, & nepotibus, verùm etiam in vniuerſa republica.

CAP. XIV.

1 SED dicet fortaſsis fautor aliquis *Macchiauelli*, nõnullos, principatum cædibus, periurijs, parricidijs, omniq. ſcelere impunè comparauiſſe, ampliſsimaq. filijs ſuis reliquiſſe imperia,

quorum exemplis inductus *Macchiauellus*, ſecuritatem in ſcelere Principi ſuo promittere non dubitat; & tales fuiſſe, *Baaſam*, & *b Manahen* reges Iſrael, *c Dionyſium* ſeniorem *Siciliæ* tyrannum (quamuis *Iuſtinus* aliter ſentiat) duos *d Ptolomæos Philopatorem*, & *Euergetem Aegypti*, & *Caſſandrum* Macedoniæ reges; Item *f Heraclium*, & *Conſtantinum* quartum Imperatores Conſtantinopolitanos, *g Mahometem* eius nominis ſecundum *Turcarum* Imperatorem, *h Ioannem Galeatium*, & *i Franciſcum Sfortiam* Mediolanenſes duces; quamuis enim hi omnes parentum, fratrum, nepotumue ſuorum parricidio, & alijs ſceleribus dominatum, vel adepti ſint, vel à parentibus acceptum ſtabilierint, nullum tamen inſignem pœnam humanam, vel diuinam, (ſaltem in hac vita) ſubierunt.

a 3. Reg. 15. & 16.
b 4. Reg. 15.
c Cicero Tuſcul. 9. lib. 5.
d Iuſt. li. 39. & 41
e Idem lib. 38.
f Zonar. annal.
g Paul. Iouius in comment.
h Naucl. ann. 1400
i Sabellic. Ennead. 10. lib. 7.

2 Vt autem hoc ita ſit, non poſſum certè non mirari ineptiam *Macchia-*

chia-

chiauelli, eiusq. diſcipulorum, qui non ex his rebus, quæ ſæpiùs, & plerumque eueniunt, ſed ex rarò contingentibus exempla petunt, documenta ducunt, præcepta formant, & inſtituunt; perinde ac ſi quis, neglecta regula generali, exceptione (ſine qua nulla regula eſt) vt regula vti vellet; quod cum faciant iſti, nullum rerum vſum habere conuincuntur; qui vſus, ſi à frequentioribus ad rariora, & à plurimarum rerum obſeruatione, & notitia, ad paucarum traducatur, anguſtus, incertus, fallax, nullus denique erit.

3 Quis mentis compos amicum hortari velit, vt magna imminente procella, parua, & lacera naue è portu ſoluat, quia quoſdam fortaſſe ipſe nouerit, tenui, & carioſa ſcapha vectos, infeſto mari, proſperè nauigaſſe, cum tamen vſus, & ratio doceat, omnes qui in mari, aduerſa iactantur tempeſtate (etiam ſi inſtructiſsimis

vehan-

vehantur nauibus) periclitari, pluri-moſq. quotidie perire? Ita etiam, nõne iſti inſani dicendi ſunt,qui ſpreta exemplorum multitudine, (quæ horrendos tyrannorũ exitus demonſtrant,) paucorum, qui è ſimili periculo euaſerint, exemplis vti ſolent, vt Principes ad tyrannidem, & ſcelera inſtituant? nonne hoc eſt, incerta præponere certis, periculoſa ſecuris, caſum, & fortunam conſilio,vſui, & rationi? quo, nihil homini politico, (qui omnia conſilio, ratione, & ſecuritate metiri debet) turpius eſſe poterit. Prudenter igitur *Cæſar*; qui, cum ſe, neminem, niſi ſolùm *Syllam*, cognouiſſe affirmaret, qui diù ſe crudelitate conſeruare poſſet, ait, ſe, in ea re, illum imitari nolle; nec iniuria; *vna* enim *hyrundo non facit ver*, vt eſt in prouerbio, nec pauca exempla communi experientiæ præponderare debent.

Cic. Epiſt. ad Attic.

4 Sed vt huic obiectioni plenius

ſatiſ-

ſatisfaciam, ſciendum eſt, Deum, cuius eſt miſereri, & parcere, cum impijs aliquando mitius agere, ita tamen, vt impietatis pœnam, quàm pater non ſoluerit, à filio, (qui, vt ait D. *Thomas*, res *patris eſt*,) repetat; quòd præſertim obſeruari poteſt in iis, qui ſe innocentium ſanguine, aliquoue graui ſcelere obſtringere non dubitant, vt tyrannidem, vel occupent, vel conſeruent; nàm quanquam Deus (qua eſt in omnes miſericordia) eiuſmodi etiam Tyrannis quandoque parcit, & aliquam temporalis pœnæ partem tyrannidi debitam remittit, eam tamen iuſtitiæ rationem habere ſolet, vt ſi fortè inſigne aliquod ſupplicium de patre non ſumat in hac vita, illud poſteà à filijs, & nepotibus exigat; Deus enim (inquit Iob) *ſeruabit filijs impij dolorem patris, & cum reddiderit, tunc ſciet*; & *Euripides. crimina ſæpè luunt nati ſcelerata parentum*; quod cùm in multis

D Thom. 12 q 87. ar. 8. c. & ad 1. Itē 22. q. 10. ar. 12. c. Tert. aduerſ. Marcion. lib. 2 S. Greg. in 21. c. Iob, cap. 31.

Iob 21.

Euripides

alijs,

alijs, tùm in præfatis principibus manifeſtum eſt, de quibus dicam eodem ordine, quo ſuprà.

3. Reg. 15 5 *Baaſa*, occiſo *Nadabo* rege *Iſrael*, Tyrannidem occupauit, cuius filius *Ela* à *Zambrio* ſeruo ſuo interfectus eſt; *Zambrius* enim *percuſſit*, vt ait Scriptura ſacra, *omnem domum Baaſæ, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, propter vniuerſa peccata Baaſæ, & Elæ filij eius*.

4. Reg. 15 6 *Manahen*, tàm vitam, quàm regnum *Iſraelis* eripuit *Sellumo*; & *Manahenis* filius *Phaceia*, à *Phacee* occiſus, paternum debitum ſuo ſanguine ſoluit.

7 Quòd ad *Dionyſium* ſeniorem *Siciliæ* Tyrannum attinet, non inficior pleroſq. auctores à *Iuſtino* diſſentire de illius morte, quem *Iuſtinus* *inſidijs ſuorum interfectum* ait, cùm tamen cæteri ferè omnes, eum ad magnam ſenectutem vixiſſe aſſirment, & morientem regnum filio ſuo Diony-

Iuſt. li. 20

Dionyſio tradidiſſe; Sed de eo, ita *Valerius*; *tametſi*, inquit, *debita ſupplicia non exoluit, dedecore tamen filij, mortuus pœnas rependit, quas viuus effugerat; lento enim gradu, ad vindictam ſui procedit diuina ira, tarditatemq. ſupplicij grauitate compenſat*. Hæc ille: filius autem eius *Dionyſius* Iunior, regno pulſus, *Corinthi* ludum aperuit, & docendo pueros in triuio, vitam ęgrè, & miſerè ſuſtentauit.

Valerius lib 2. c. 2. de hoc Dionyſio vide ca. 9. n. 4. & ca. 15. num. 6.

Plut. in Dione. Cic. Tuſc. quæſt. li. 5 Iuſt. li. 29

8 *Ptolomæus Aegypti* rex *Philopator* ironicè dictus, (quia, tàm patrem, quàm matrem occiderat) naturalem mortem obijt, relicto filio quinquenni *Epiphane*, qui etiam morbo, non vi interijt. Quod ſecreto Dei iudicio tribuendum eſt, & fundamentum, quod ſupra poſuimus, minime labefactat, tùm quia nulla regula exceptione vacat, tùm quia probabilis cauſa reddi poterit, cur tàm *Philopator*, quàm *Epiphanes* eius filius; violentę mortis pœnam tyran-

nidi ſuę debitam non ſoluerunt; ſi enim huius rei cauſam conijcere liceat (nam de diuinis iudicijs nihil certi affirmare audeo) credibile eſt, non ſolùm hos duos (*Philopatorem* nempe,& *Epiphanem*) ſed etiam P*hilometorem*, & *Euergetem* ſecundum, *Epiphanis* filios, ſpeciali Dei priuilegio, propter P*tolomæi Philadelphi* merita, ab infelici tyrannorum exitu exemptos fuiſſe.

Ioſephus de antiq. li. 12. c. 2.

9 Nam *Philadelphus*, quamuis idololatra eſſet, centum viginti millia I*udæorum*, quos pater eius in *Aegyptum* captiuos duxerat, libertate donauit, munera pretioſiſſima ad templum Hieroſolymitanum miſit, & legem *Moyſis* à 70. interpretibus ex Hebræo idiomate in Græcum traducendam curauit; quâ *Philadelphi* pietatem, Deo ita gratam fuiſſe exiſtimandum eſt, vt paterni meriti præmium ad liberos, nepotesq. eius redundaret.

Huius

10 Huius rei exemplum Scriptura ſacra nobis ſuppeditat in filijs, & nepotibus *Iehu* ſchiſmatici regis *Iſrael*, qui ſe diuinæ iuſtitiæ miniſtrum, in impij *Achabi* filijs, & ſceleſrata *Ieſabele*, plurimisq. falſis prophetis emedio tollendis, exhibuit. Quamobrem promiſit illi Deus, eius filium, & nepotes, vſque ad quartam generationem, in regno ſucceſſuros; quod ita euènit; nam quanquam Deus cæteros *Iſraelis* reges, (vel patrem, vel filium) propter idololatriã, & ſchiſma, regno mulctare ſolebat, nepotibus tamen *Iehu*, vſque ad *Zachariam*, eius abnepotem, auitum regnum ſartum tectum conſeruauit. 4.Reg.10 & 15.

11 Vt igitur ad *Philadelphum* reuertar, ſimile priuilegium illi, propter ſuumam eius in templum Hieroſolymitanum, gentemq. iudaicam, pietatem, à Deo conceſſum videtur; nepotes enim eius, vſque ad quartam generationem,(quamuis nequiſ-

ſimi eſſent tyranni ;) violentæ tamen mortis ſupplicium minime tulerunt, nam non ſolum *Philopator*, & *Epiphanes* eius filius (de quibus hic præcipue agitur) verum etiam *Philometor*, & *Euergetes* ſecundus, *Epiphanis* filij, morte naturali vitam finierunt ; ſed horum liberi, (præterita iam quarta à *Philadelpho* generatione) ſolitas tyrannidis pœnas pependerunt ; nam *Philometoris* filius, tàm vita, quàm
Iuſt. li. 38 regno ab *Euergete* patruo ſuo priua-
Idē li. 39. tus eſt;& *Euergetis* vxor,& filij,filiæq. mutuis in ſe parricidijs,bellisq. ciuilibus ſæuientes,tàm parentum,quàm auorum ſcelera ſuo ſanguine,& calamitate luerunt ; Sed iam pergamus.

12 De *Caſſandro Macedoniæ* rege, qui non ſolum *Alexandri* magni
Idē li. 16. cædis conſcius fuit, ſed etiam omnem illius prolem extinxit, nec vllas tamen dum viueret, ſceleris pœnas pependiſſe videtur, ita *Iuſtinus* : *Vni-*
Idē ibid. *uerſa*, inquit, *Caſſandri domus, Alexandro*

dro magno, ſeu necis ipſius, ſeu ſtirpis, extinctæ pœnas, partim cæde, partim ſupplicio luit.

13 *Heraclius*, qui cæde *Phocæ* Imperatoris, imperatoriam dignitatem conſecutus eſt, reliquit duos filios, qui ſibi in imperio ſucceſſerunt, nempe *Conſtantinum* tertium, & *Heracleonam*; quorum ille, à *Martina* matertera ſua, matre *Heracleonæ* veneno ſublatus eſt; hic, cum *Martina* matre ſua in exilium proiectus. *Zonar. Annal. to. 3.*

14 *Conſtantinus* quartus, fratribus ſuis nares, auresq. præcidit, & deinde vitam eripuit, & quamuis poſtea bonus imperator euaderet, iuſto tamen Dei iudicio, talionis pœna à filio eius *Iuſtiniano* repetita eſt, per *Leontium* tyrannum, qui illum, amputatis auribus, naribusq. imperio expulit, & in pontum relegauit; Hic vero *Leontius*, à *Tyberio* tyranno prælio ſuperatus, captusq. præciſo naſo in vincula eſt coniectus; poſt, *Iuſti-* *Idẽ ibid.*

nianus, recuperato imperio, *Tyberium* cępit fugientem, eumq. exectis priùs naribus, & auribus, vnà cum *Leontio*, morte multauit; nec ſic tamen finita tragedia eſt, donec tandem ipſe *Iuſtinianus*, & filius eius *Tiberius*, à *Philippico* interempti, tùm patris ſui Conſtantini, tùm ſua peccata ſuo ſanguine expiaſſent.

Paul. Iou. comment. rerũ Turcic. 15 *Mahometes* ſecundus, *Turcarum* Imperator, mortuo *Amurathe* fratre ſuo, alium fratrem ſuperſtitem illico interfici iuſſit, cuius parricidij pœnam perſoluit *Baiazetes* ſecundus *Mahometis* filius, à *Selymo* filio ſuo primùm bello laceſſitus, deinde *Conſtantinopoli* pulſus, & tandem veneno necatus.

Naucler. an. 1400. 16 *Ioannes Galeacius Vicecomes*, *Barnabam* patruum ſuum (æquales Mediolanenſis ditionis partes ſecum tenentem) eiusq. filios interemit, atque impetrato ab Imperatore *Venceslao* ducis Mediolanenſis titulo, ſub-

actaq.

actaq. tota *Lombardia*, ducatum reliquit *Ioanni Mariæ Vicecomiti* filio ſuo, qui à ſuis interfectus, paterni parricidij ſupplicium pertulit.

17 *Franciſcus Sfortia*, à *Mediolanenſibus* præfectus exercitui contra Venetos, *Mediolanenſium* arma in ipſos conuertit, & obſeſſo, atque ad deditionem coacto *Mediolano*, Dux Mediolanenſis ſalutatus eſt; cuius filius *Ioannes Galeacius Sfortia*, tyrannus crudeliſſimus, à ſuis ciuibus in ipſa Eccleſia trucidatus, ſuam Tyrannidem, paternamq. perfidiam ſuo ſanguine luit. *Sabellic. Ennead. lib. 7.*

18 Hijs etiam addi poterunt alij Tyrannorum filij, à quibus paterni ſceleris pœna perſoluta eſt; quos tamen, ſi cum illis conferas, qui propriæ tyrannidis pęnas pependerint, paucos admodum hos fuiſſe reperies; Sed quomodocunque illud ſit, id dicere auſim, vix vnum, vel ne vix quidem, in omni antiquitate inſignem

Tyrannum inueniri poſſe, qui, vel in ſe, vel in liberis, nepotibusue ſuis, ſuorum ſcelerum ſupplicium non per-
Iob c. 27. tulerit, *hæc eſt enim,* inquit Iob, *pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum quam à Domino ſuſcipiet, ſi multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt; & nepotes eius non ſaturabuntur pane, qui reliqui fuerint ex eo ſepelientur in interitu, & viduæ eius non plorabunt.*

19 Quocirca, non immeritò in prouerbij conſuetudinem venit, *malè parta malè dilabi, atque iniuſtè acquiſitis vix gaudere tertium hæredem.* Hoc autem cum in cæteris rebus malè partis perſpicuum ſit, in regnis tamen, & principatibus maximè; in quibus etiam hoc notandum eſt, quòd cum raro iniuſtè ſine cæde acquirantur, vel retineantur, cæde etiam plerumque amittuntur, vt pena culpæ
Matt. 26. reſpondeat, & *qui gladio percuſſerit, gladio pereat.*

Qui-

20 *Quicunque*, enim inquit ipſe Dominus, *effuderit humanum ſanguinē, fundetur ſanguis illius*;& in Apocalypſi, *qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. Cum Cain interfecerat *Abel* fratrem ſuum, ait illi dominus, *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra; nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ ſuſcepit ſanguinem ſuum de manu tua*. Ipſe autem *Cain* poſt à *Lamech* occiſus eſt. *Adonibezec* ſeptuaginta regibus amputauit manuum, pedumq. ſummitates, qui à *Iuda* bello captus, eademq. multatus pęna,qua alios affecerat,diuinam in ſe agnouit vindictam,dicens, *ſicut feci,ita reddidit mihi Dominus*. Geneſ. 9. Geneſ. 4. Iud. 1.

21 Cum *Achab* iniuſta morte affecerat *Naboth*,vt vineam eius poſſideret, dixit ei *Elias* propheta, *occidiſti, inſuper & poſſediſti, in hoc loco in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum*, quod ita euènit poſtea, vt à Propheta 3. Reg. 21

ta prę-

ta prædictum eſt. Sed quid quòd cædis factæ culpa, non auctores ſolùm, eorumq. filios, & nepotes, ſed etiam omnes ciues, & rempublicam vniuerſam quandoq. deuinciat, donec, expietur? quo pacto plurima regna iuſtò Dei iudicio, vel penitus euerſa ſunt, vel grauiſſimas clades acceperunt.

22 Tempore *Dauidis* regis, fames omnē *Iudam* miſerè afflixit tres annos, propter cædem *Gabaonitarum*, multò antè à *Saule* factam, nec ceſſauit, donec ſeptem *Saulis* nepotes eſſent traditi *Gabaonitis*, & ab illis crucifixi. (2. Reg. 21.)

23 Regnante *Ioacha*, *Manaſſis* abnepote, *Aſsiriȷ*, *Chaldæi*, *Syri*, *Moabitæ*, & *Ammonitæ*, vniuerſam *Iudæam* miſerè depopulati ſunt, propter ſanguinem innoxium quem effudit *Manaſſes*, qui *impleuit Hieruſalem cruore innocentium, & ob hanc rem noluit Deus propitiari*. (4 Reg. 24.)

Plu-

24 Plutarchus refert Ciuitates *Romam, & Laurentum*, ingenti peſte ferè abſumptas eſſe, ob legatorum *Laurenti*, & *Tatij* regis cædes, quod ipſe rei exitus declarauit; Cum enim in ſceleris illius, auctores, in vtraque ciuitate, fuiſſet animaduerſum, ceſſauit peſtis vtrobique. *Plutarc. in Rom.*

25 *Iuſtinus* teſtatur, *Epirotas* omnes propter cædem *Laodamiæ* regis ſui filiæ, iuſto Dei iudicio, inteſtinis, & externis bellis, atque infinitis cladibus propè deletos eſſe, & *Milonem Laodamiæ* percuſſorem, in furorem verſum, propria viſcera dentibus laceraſſe. *Iuſt. li. 28*

26 Nec minus inſignis fuit pugnæ leuctricæ calamitas, qua *Lacedæmonij* à *Thebanis* ſuperati, omnem exercitum, cum imperio totius græciæ, perdiderunt, iuxtà ſepulchrum duarum filiarum *Scedaſi*, quas, duo *Lacedæmonij* à *Scedaſo* hoſpitio excepti, per vim ſtupratas occiderant. Hăc

igitur

Diodor Sicul. lib. 15 cap. 14. igitur cladem *Lacedæmonij* iuſto Dei iudicio acceperunt, qui, cum puellarum pater *Scedaſus*, grauiſſimè apud eos de iniuriæ atrocitate conqueſtus eſſet, in ſceleris auctores animaduertere noluerunt, cuius rei indignitate permotus *Scedaſus*, *Lacones* omnes, eorumq. remp. execratus, manus ſibi intulit; pòſt autem, cum bellum inter *Thebanos*, & *Lacedæmonios* ortum eſſet, manes *Scedaſi* apparuiſſe dicuntur *Pelopidæ Thebanorum* duci illumq. iuſſiſſe bono eſſe animo, venturos enim *Lacedæmonios leuctram*, vt ſibi filiabusq. ſuis ibi ſepultis, pœnas darent. *Plutarc. in narrat. amat.* *Cicer. de diuinat. lib. 1.*

27 Hæc eò tractaui fuſius, vt hinc diſcant Principes, non ſolùm ſe à cædibus abſtinere, ſed etiam illas ab alijs factas ſeueriſſimè vindicare, quò iram, vltionemq. diuinam cùm à ſe, tùm ab vniuerſa republica auertant.

Tyran-

Tyrannum quamuis violentam mortem effugiat, non mori inultum.

CAP. XV.

1 SED Tyrannus, ſi fortè naturalem mortem obierit, an impunè fuerit ſceleratus? nihil minus; *multa enim flagella peccatoris*, & quamuis vnum aliquod effugerit, cætera effugere nō poterit, illud præſertim, quod omniū maximū eſt, ipſa, inquā, peccata quæ peccati *d* pęnę, ſuppliciaq. grauiſſima ſunt; cùm non ſolùm ſua cruciamentas ſecum ſemper ferant, sed etiam homines ad multò acerbiora, & in perpetuum duratura præcipitent. *Pſal. 31.* *d D. Greg. in Ezech. li. 1. ho. 11*

2 De hoc penæ genere loquitur Apoſtolus, cū dicit, Philoſophos propter

pter idololatriam *traditos eſſe in reprobum ſenſum, in deſideria cordis eorum, in paſsiones ignominiæ, atque in* Rom. 1. *peccata nefanda, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, &c.*

3 Hanc peccati pęnam non ignorarunt ipſi Philoſophi, cùm *Cicero* P. *Clodio*, ita dicat; *Tu, cum furiales in concionibus voces mittis, cum domos ciuium euertis, cum ædes ſacras inflammas, cum vxorem, ſororemq. non diſcernis; cum quod ineas cubile non ſentis, cum bacchăris, cum furis, tum das eas pœnas, quæ ſunt hominum ſceleri à Dijs immortalibus conſtitutæ; nam corporis quidem noſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe, & ipſum corpus tenuiſſima ſæpe de cauſa conficitur, deorum tela impiorum mentibus figuntur; quare miſerior es, cum in omnem fraudem raperis oculis, quàm ſi omninò oculos non haberes.* Hæc *Cicero* elegantiſſimè.

Cic. orat. de Auruſpic. reſpo.

Idem

4 Idem etiam obſeruat *Plutarchus* in *Tigellino*, ab *Othone* Imperatore occiſo, quem ſatis acerbas ſceleris pęnas, dum viueret, dediſſe affirmat, quia eſſet omni ſcelere, & nequitia contaminatus; nec iniuria; cùm ſceleſtus, hos habeat ſemper importuniſſimos comites, vel ſui potius tortores, populi odium, infamiam, angores, ſollicitudines, diurnos, nocturnosq. metus, horrenda ſomnia, infinitas conſcientiæ labes, infinita vulnera, quibus perpetuò cruciatus, neque ex potentia, neque ex diuitijs, neque ex voluptatibus vllam capiet voluptatem, de qua re Satyricus eleganter. *Plutarc. in Otho.*

——————cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos ſemper conſcia facti *Iuuenal. ſatyr. 13.*
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Pæna

Pæna autem vehemens, & multò ſæuior illis,
Quas & Seditius grauis inuenit, & Radamanthus,
Nocte dieq. ſuum geſtare in pectore teſtem.

Sap. 17. 5 Hinc ait Scriptura ſacra, *cùm ſit timida nequitia, data eſt in omnem condemnationem; ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia.* Hinc *Plutarchus* docet improbitatem ex ſe ad infelicitatem ſufficere, ſatisq. mali ſceleratis in hac vita accidere, quòd ſcelerum conſcientia crucientur, eosq. quò diutius vixerint, eò infeliciores, & miſeriores fore, atque idcirco infelicem, quem plerumq. habent, exitum, non tàm ſceleris ſui ſupplicium, & pęnam, quàm ſupplicij, quod in hac vita luere ſolent, finem appellari debere.

Plutarc. lib. quòd improbitas ex ſe ſufficiat, &c. Idem de ſera numinis vindicta.

6 Hoc in infinitis Tyrannis, quorum ab hiſtoricis fit mentio, manifeſtum eſt, vt in *Dionyſio* illo Siracuſano

a Cic. Tuſcul. queſt. lib. 5.

ſano (cuius meminimus b ſupra) qui duodequadraginta annos (tot enim Tyrannus erat) *vitam morte amariorem tranſigebat, cum nemini omnium fideret, nec auderet collum tonſori committere, ſed filias ſuas tondere doceret, à quibus etiam cum iam eſſent adultæ, ferrum remouit, inſtituitq. vt candentibus iuglãdium putaminibus, barbam ſibi, & capillum adurerent, & cum duas vxores haberet, ſic noctu ad eas ventitabat, vt omnia ſpecularetur, & perſcutaretur antè; cumq. in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, concionari ex turri alta ſolebat*; de quo plura *Cicero*, quæ conſultò prætereo, quia hiſtoria ſatis eſt peruagata. b cap 9. n. 4. cap. 4. num. 7.

7 *Iuſtinus* in *Attalo* rege tyranni mentem ſcelerum rabie dilaceratam,& diſtractam graghicè depingit. *Attalus*, inquit, florentiſſimum, & ab *Eumene patruo acceptum regnum cædibus amicorum, & cognatorum ſupplitijs fœdabat; poſt hanc ſceleſtam vio-* Iuſt. li. 36

lentiæ rabiem, ſqualidam veſtem ſumit, barbam, capillumq. in modum reorum ſummittit, non in publicum prodire, nec populo ſe oſtendere, non domi lautiora conuiuia inire, aut aliquod ſignum ſani hominis habere prorſus, vt pœnas pendere manibus interfectorum videretur, omiſſa denique, regni adminiſtratione, hortos fodiebat, grana ſeminabat, & noxia innoxijs permiſcebat, eaq. omnia, veneni ſucco infecta, velut peculiare munus amicis mittebat; Ab hoc, ſtudio ærariæ artis fabricæ ſe tradidit, cerisq. fingendis, & ære fundendo, procudendoq. oblectabatur, matri deinde ſepulcrum facere inſtituit, cui operi intentus, morbum ex ſolis ardore contraxit, & ſeptima die deceſsit.

8 Sed quid commemorem *Tiberium* Cæſarem, tyrannum crudeliſſimum? qui per aliquot ante mortem annos, *Capreis* vixit, nec *Romam* vnquam reuerti auſus eſt, ne à populo

Sueton. in Tyber.

diſcer-

diſcerperetur? Quid dicam de *Claudio*, qui conuiuia non adire ſolebat, niſi vbi *ſpiculatores circumſtarent, militesq. vice miniſtrorum fungerentur, neque ægrũ quemquã viſitabat, niſi explorato prius cubiculo, culcitriſq. & ſtragulis prætentatis, & excuſſis?* Quid de *Nerone*, qui poſt cædem matris, conſcientiam ſceleris nunquam ferre potuit, ſæpe confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus furiarum, & tædis ardentibus? Quid de *Domitiano*, qui pauidus ſemper, atque anxius, minimisq. ſuſpicionibus præter modum commotus, porticuum, in quibus ſpatiari conſueuerat, parietes phengite lapide diſtinxit, vt ex eius ſplendore per imagines, quidquid à tergo fieret, perſpiceretur?

Idem in Claudio.

Sueton. in Nerone.

Idem in Domitiano.

9 Quid, inquam, de his dicam, cum *Ludouicus* vndecimus *Galliæ* Rex (quem, nec tyrannis, nec peſſimis principibus, de quibus hic præcipuè agitur, annumero) huius rei teſtis eſt,

 ſe po-

ſe potuerit? qui cũ ſe crudelius æquo geſſiſſet, atque odium plurimorum in ſe concitaſſet; omnia iam ſenior factus, adeò ſuſpecta habuit, vt filium ſuum teneræ adhuc ætatis puerum, in conſpectum admittere non auderet; cumq. palatium munitiſſimum non ſibi ſatis tutum exiſtimaret, cubiculo, vbi dormire ſolebat, cancellos ferreos circumdedit, atque, ibi, tanquam in carcerem ſe incluſit, neque in publicum prodire auſus eſt, niſi rariſſimè, locisq. omnibus antè perſcrutatis, quo pacto ſatis graues crudelitatis ſuæ pœnas ipſe de ſe ſumpſit, vt teſtatur *Philippus Cominæus*, qui illi erat à conſilijs, totiusq. rei oculatus teſtis.

Philip. Comm. in Lodouico 11. c. 135.

10 Si quis de hac re deſideret plura, legat *Thomam Bozium* auctorem doctiſſimum, grauiſſimumq. qui hunc locum tractauit eleganter contra *Macchiauellum*, & præcipua eius fundamenta penitus labefactauit.

Bozius de robore bellico. de nouo, & antiquo Italiæ ſtatu. Itē de imperio virtutis.

Itaq.

11 Itaq, nunc ipſum appello *Macchiauellum*, ſitne aliquid tyrannorum vita tetrius, miſerius, deteſtabilius? quamuis enim ſua ſcelera, vel ſanguine ſuo, vel exilio, vel aliqua alia magna infelicitate, non luant, inulti tamen non moriuntur, cum ex imperijs, potentia, & diuitijs, nullam omninò percipiant, vel vtilitatem, vel voluptatem, quandoquidem ſunt tot, tantisq; curis, cruciatibus, terroribus, periculis, & ærumnis vndique circumſepti.

***

Peroratio,

Qua docetur nequiſſimam *Macchiauelli* politicam, nullo omninò niti fundamento.

CAP. XVI.

1 HAEc cum ita ſint, hic à politicis ſciſcitari lubet, quo præſertim fundamento nitatur impia, & ſceleſta *Macchiauelli* politica; an ratione? nihil minus; nam, cum *virtus* nihil aliud ſit, *teſte Seneca*, niſi *recta*, *&* *perfecta ratio*, nihilq. virtuti magis repugnet, quam ſcelus, neceſſario ſequitur, ſcelus etiam cum recta ratione maximè pugnare; an nititur ex-

Seneca epiſt. 76.

experientia? at illa, infeliciſſimum ſceleris exitum apertiſſimè docet; an naturæ lege? nec illud quidem; omne enim ſcelus non minus à natura, quam à ratione *b* abhorret; an Lege diuina, illud verò omnium minimè; cùm *c* diuina Lex ſcelus maximè deteſtetur, damnet, prohibeat, puniat; quid tum denique? an ſolo ſcelere? ergo nihilo; cùm enim malum, nihil aliud ſit, niſi abſentia boni, perinde ac tenebræ abſentia Lucis, & cæcitas priuatio viſus, ſequitur, malum nihil omninò eſſe, vt acutiſſimè diſputant S. *Dionyſius* d *Areopagita*, &, illum ſecutus ſanctus *Thomas* e.

Vide ſupra ca. 10 *nu.* 18. & 19. & *ca.* 12.

b Supra cap. 1. *per totum.*

c Vide ſupra ca. 10 & 11. *per totum.*

2 Sed quicquid de hoc ſtatuerimus, id certè negari non poteſt, ſcelus, cum tàm Dei irã (è cuius voluntate, & nutu vniuerſa pendent) quàm hominum odium in Principes ſceleſtos concitet, reſpublicas, & regna non firmare poſſe, vel ſtabilire, ſed infirmare, labefactare, & penitus

d S. Dion. lib. de diuin. nom. c 4. *par.* 4.

e S. Thom. 1. *p. q.* 48. *ar.* 1. *c.* & *art.* 2. *ad* 2.

 euer-

f cap. 12. euertere, vt ex adductis ſupra *f* exemplis liquido conſtat; quò fit, *Macchiauelli* politicam ſolo ſcelere ſuffultam, ilico fore interituram. Itaq. mirum videri uon debet, eorum omnium, de quibus ſupra mentionem feci, tyrannorum imperia, ſcelere nixa concidiſſe.

3 Sed id ſanè mirari ſatis non queo, *Macchiauellum*, cuius ingenium, & acumen diſcipuli eius admirantur, & obſtupeſcunt, tanto potuiſſe ſtupore opprimi, vt neque naturæ inſtinctu, neque Hiſtoriæ ſacræ veritate, neque profanæ authoritate, neque rationum pondere, neque exemplorum multitudine, neque communi omnium Philoſophorum conſenſu, nec denique totius orbis, de hac re iudicio, moueri poſſet, quo minus profiteretur ſe ſceleris tyrannidisq. magiſtrum, non, vt aliquem ex plebecula homunculum erudiret, ſed, vt ipſum Reipub. caput, lethali

ſcele-

ſceleris peſte coinquinaret.

4 O præclarum Principum præceptorem *Macchiauellum*! qui cum docet decipit, cum præcipit, perimit, & perdit; O felices diſcipulos! qui quò magis abundauerint magiſtri præceptis, eò erunt miſeriores, & cum doctiſſimi, tunc tandem miſerrimi; quæ enim *Macchiauellus* illis proponit, & pollicetur cõmoda (gloriam nempe, potentiam, imperium) *g* ea vel non omninò comparant, vel comparata, vnà ſecum ſtatim perdunt, vel ſummo cum periculo, angore, & acerbitate *h* poſſident. Nonne *i* gloriam quærentes, maximo omnium odio maximaq. flagrant infamia, atque ita, omnium maximè ſunt inglorij? nonne *k* potentiam, & imperium conſectantes, tùm ſuis cupiditatibus, tùm viliſſimis, peſſimiſq. hominibus, vt cæteris dominentur, inſeruiunt, & ſic impotentiſſimi, imò, & verè *l* ſerui fiunt? & quantamcumque adepti fuerint

g Vide ſupra ca. 7. 8. & 9.

h Supra cap. 15.

i Supra cap. 8. nu. 2. 3. 4. & 5.

k Supra cap. 4. nu. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

l Supra c. 6. n. 10. 11. 12. 17. & 18.

rint potentiam, atque opulentiam, an vllum omninò, vel ipſi fructum inde fuerunt, vel ad liberos transferunt? imò nonne potius, tàm *m* liberis, quàm ſibi, certiſſimum parant exitium? cùm enim eos non tàm imperij, & potentiæ ſuæ, quàm pœnę ſceleri ſuo debitę hęredes relinquant, non minus illos, quàm ſeipſos diuinę exponunt *n* irę, & vindictę, quam effugere, nec ipſi, nec illi poterunt.

m Supra cap. 13. n. 22. & ca. 14. per totum.

n Supra cap. 5. nu. 2. & 3.

5 Habes igitur, lector, quę ſint Tyrannorum commoda, quę ſecuritas, quę felicitas; habes, quàm prçclarum Principem inſtituit *Macchiauellus*, cuius doctrina à ratione, atque ab ipſa natura adeò aliena eſt, vt non Principem formaſſe, ſed aliquod Principum *o* portentum, non hominem, ſed hominum monſtrum parturijſſe videatur, impuro, & nefario ore euomens prodigioſa ſceleris, & tyrannidis *p* prçcepta, tàm principibus, quàm toti chriſtiano Orbi pernicioſa.

o Supra ca. 5. n. 1.

p Supra cap. 6. per totum.

Quam-

6 Quamobrem, non ſolùm libri eius à ſacroſanĉto, & ęcumenico *Concilio Tridentino* meritò damnantur, atque addicuntur igni, ſed etiam eorum Lectores anathematis fulmine percutiuntur; ea tamen eſt (proh dolor) hominum cęcitas, peruerſitas, & malitia, vt non pauci reperiantur, qui eius impia, & abſurda ſcripta, in manibus habeant, legant, & admirentur, imò, & pręceptis eius ob temperent; quò fit, vt ſe ſuosq. perdant, & cęcum ſequentes ducem, ad inferos tandem pręcipites ferantur, ęternis cum magiſtro ſuo, ignibus concremandi; nam, cum *cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt.*

Conc. Tridēt. in indice libro. prohibit. claſſe 1.

Matt. 15.

FINIS.

Ad

Ad Illuſtriſsimum, & Excellentiſſimum Principem,

D. FRANCISCVM DE CASTRO, DVCEM TAVRISANVM, &c.

Carmen Saphicum.

Arua qui latè populoſq. ſubdit ,
Quem ſuus ſubdit grauius Cupido,
Huic licet clarum diadema frontem, &
Tempora cingat,
Regium nunquam decus occupabit ;
Rectiùs, qui ſe moderator æquus
Temperat, veri ſibi vendicabit
Regis honores.
Præſidem quòd ſi dabit hunc ſecundus
Gentibus cæli fauor, hinc & illinc
Mutuis cernas facibus nitentes
Clariùs ignes ;

Dum

Dum ſuos ornans titulos ſuperbo
Pulcher ornatu rutilabit heros,
Sic repercuſſo geminata cernas
Lumina Phæbo.
Hinc, comes, *veſtris proauis coruſcum*
Nomen, & nullo tenebranda ſeclo
Gloria, in ſeros veniens nepotes
Aucta refulſit.
Seu per inſignes numerare Reges
Inclytum Lemos *genus, & potentis*
Sceptra quis malit celebrare longo
Ordine dextræ,
Fulgor hinc, nulli veniet ſecundus;
Stemma quod plures numerare Reges
Certet aut longo moderata iactet
Ordine ſceptra?
Seu per arcanos iuuet ire campos,
Quos tenent clari proceres triumphis
Bellicis, ſeu quos fidei verenda
Faſcia velat.
Bęticis *illinc ſtupor vmbra caſtris*
Fulget Andradę, *rutilante* Mauros
Hic agit curru, bene vindicata
Virgine lætus.

Hinc

Commiſſa dat pænas; frequenter
Sæuities iterata regnat.
Inſanientum ſpes, & inutile
Nullo quieſcens conſilium loco,
Natura quod ſanxit, quod autor
Imperij ſtatuit, reuulſit.
Funeſtat altam dira potentiam
Lex, & Curules commaculat ſcelus;
Quà, poſſe regnorum potitis
Eſſe bonos, dominis negatur.
Vindicta ceſſat? fulminibus vacat
Adhuc tonantis dextera? perfidum
Et geſtit humanis iniqua
Flagitium dare iura rebus.
Nunc deſtitutæ fædera vindicet
Mundus parentis; nunc coeant (Dei
Iniuriæ ſunt diluendæ)
Ordine res bene conſtitutæ;
Conſurgit vnum pro reliquis caput,
Obſtat citatis nobile flactibus;
Conſulta, Fitzherberte, *atrocis*
Creſcere non pateris tyranni;
Monſtras, potentes Moyſen *ad æthera*
Leuaſſe ſanctum pro populo manus,

Lyraq.

Lyraq. diuinum ſonora
Innocuum ceciniſſe pſalten.
Hinc, Macchiauelli *pondeꝛibus tuis*
Concuſſa nutat machina; corruet,
Grandiq. cultoris nefaſti
Obruet inſipidos ruina.

Ad Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum Principem,

D. FRANCISCVM DE CASTRO,

COMITEM DE CASTRO, Ducem Tauriſanum &c.

Epigramma

Quis modus imperio, quod ius, quę norma regendi,
Dum legis & laudes hic legis ipſe tuas.
Norma ſit hæc alijs, tua quæ, Comes inclyte, imago eſt.
Exemplum vitæ ducta per omne tuę;
Vtque ſolet diuum in templis imitata figuras
Sacrari diuis picta tabella ſuis,
Sic redit in titulos votiua hæc pagina veſtros,
Et pariter genium, quem colit, ipſa refert.

Henricus Bentleius nobilis Anglus.

Eiuſdem

Ad Authorem.

Ode.

Vindex iniqui gentibus Imperi,
Non impiorum conſilium Deus
Impunè linquet, exitusve
Flagitio tribuet ſecundos.
At nos rebelli (proh ſtolidum genus
Mortale) diuos corde laceſſimus,
(Ipſumq. ceu noſtras putemus
Poſſe Deum latuiſſe fraudes)
Scelus tueri nequiter improbo
Conamur aſtu. Scilicet, intimas
Qui finxit humanis latebras
Pectoribus, malè cogitata
Non peruidebit? Scilicet, impios
Non ille niſus vertet? & irrita
Retrò retorquebit maligni
In caput, exitiumq. tela?
Quin iuſta quiſquis, iure ſed haud ſuo,
Quærit tueri; proditor optimæ
Cauſæ, reluctatur ſceleſto
Auxilio nihil indigenti.

Contra

Digitized by Google

Contrà, ſupremi qui ſtudet imperj
Per cuncta rectus iuſtitiam ſequi,
Suumq. poſtponens honeſto
Vtile, non ſceleroſa quærit
Per facta lucrum; muniet vndiq.
Hunc numen, aſtus inter, & additos
Inter malignorum furores,
Peruigili teget vſq. cura.
Sic Macchiauelli, ſed neq. principem
Præcepta fingunt, quem meliùs tua
Demiſſa, Fitzherberte, *ab ipſo*
Inſtituet bene norma cælo.
Hæc, hæc, honeſti candida pectoris
Scintilla, flammas numinis intimas
Teſtatur, & purùm nitentes
Ingenua probitate ſenſus.

Errata ſic corrige.

Pag.3.lin.6.vt fuerit *prudentiſſimus*.lege *perditiſſimus*.p.8. l.11.diſentiat, diſſentiat. p.10.l.16.ſolnm,ſolum.p.12.l. 21.totus,totum. ibid.l.23.vtiliati,vtilitati.p.13.l.3.dehent,debent.p.15.l.8.nullam alium,nullum alium. Ibid. l.11.to excubet, te excubet. Ibid.l.15.ſalus, ſaluus. p.18.l. quiſimi-, qui ſimi-. p.19.l.5.lucurgum,lycurgum Ibid. l.19.quam pln-, quam plu-. p. 21.l.24. non dito: apoſtolus,non dicit apoſtolus.p.22.l.22.ditam,dicam.p.23. l.1.optemperantium, obtemperan-. p.26.in margine ad l.18.Iſay.6,Iſay.60. p.33.l.24.princeps, principes.p.36. l.4. Socratius, Socraticus. p.45.l.2. deſtribuant, diſtribuant.Ibid.ad l.penult.in margine,in phrædone,phędone.p.47.l.penult.plntarcus,plutarcus.p.50.l.12.reiquebublicæ,reiquepublice. p.51.l.11.obcure,obſcure.p.52. l.20.dcpingit,depingit.p.55.l.11.regius,regis ius.p.ead. l.13.nos, mos. Ibid.l.23. neceſſe ſi, neceſſe ſit. p.56.l.13 Rexinſolio, Rex in ſolio. p.58.l.6.ad inuentionibus,adinuentionibus.p.60.l.18.ſeruitute?& ibid.l.21.iudicandus,iudicandus?p. 61.ad l.22.citetur in margine. Sap.6. p.63.l.14.& pluſquam, pluſque. p.64.l.15.periclari,periclitari. p.77.l.antep.fclicius,felicius. p.78.l.24 malæ, malè.p.80.l.5.ſi vt,dele ſi.p.82.l.7.rimedium,remedium p.84.l. antep.affrænatum,effrenatum. p. 86. Philippuus Philippus.p.98.l.1.&2.nutrita,nutritæ.p.90.l.12.pro,vt prout. p.91.l.16.cum e contra. cum contea. p.103.l.20. qua hommi, quæ. p.106. l.21. philpſophi, philoſophi. p.124.l.3. rurpi.turpi. p.134.l.1. diuinam, diuinum.p. 173.l.10.inuiſtbili,inuiſibili.p.139.iudicio l.11.iudicio p. 144. l.9. ſcelete, ſcelere. p.159.l. antep.Ptclomæus, Ptolomæus .p.181.l.10.cuius,cunis.p.198.l.14.Baiazetus,Baiazetes.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Fascicolo
N° 95

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
LAB. RESTAURO
ROMA

Digitized by Google